Hofmann

1641

29,148/A

7

29

A. XXIX.

R7.28

CASP. HOFMANNI

ANIMADVERSIONES

IN

COM. MONTANI LIBROS
quinque de Morbis,

ET

THOMAE ERASTI
Anatomen eorundem,

Nec non

ANT-ERASTICA
ejuſdem Montani.

Cum auctario de

CAVSA CONTI-
nente.



AMSTELRODAMI
Apud JOANNEM JANSSONIVM.
Anno M. DC. XLI.

92641

SION COLLEGE
LIBRARY.

SOLD BY ORDER OF THE
PRESIDENT AND GOVERNORS 1938.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

AD LECTOREM.

IAm unus alterque fluit annus, cum amicorum quidam, ex Belgio, Galliâ & Italiâ redux, in familiari colloquio, *Mirari iſthic homines dicebat, quibus ex ſcriptis innotuerim, cur in victu præ aliis Germanis adeò ſtrictus ſim, ut nulla vitæ oblectamenta quæram!* Ne mirentur, inquam: quia alia & plura ferre non poſſum. Illi verò, reddit hoſpes, reſpiciunt ad τὸ ὑγιάζειν Plutarchi, quod abſque me interprete intelligis. Cui ego, ſcire equidem velim, quot mihi ſint domini! Et unde ſciunt illi, quid domi meæ agatur? Ne putes, reſpondet ille tam ignotum te eſſe extra Germaniam, quam intra illam es. Poſſum credere, ad paucos perveniſſe libellos meos, in quibus VERITATEM doceo: ſed hoc vix credere poſ-

ſum, quemquam eſſe inter illos, apud quem fraudi mihi ſit ad Naturæ legem vixiſſe. Scio ego quorſum pertineat illud τῶν ἀσώτων διαζῆν, quod Latini *Medicè vivere* nominant: ego vero OPTIME vivo, Quia tale & tantum comedo, quantum benè fero. Nimirum, ſubinfert alter, ſciant hoc quoque, vivere te ad libellam, quo modo ALOYSIVS olim CORNELIVS, qui hoc vitæ genere uſus, ad annum 90. acceſſit, quem terminum tibi quoque optant. Nihil minus, quam ad libellam, dicebam. Videbis, ſi volet DEVS, hodiè. Atque utinam ad rigorem illum aſpirare poſſim! Sed & non valdè ſolicitus ſum, quamdiu vivam, modò DEO & proximo vivam. Mihi enim cordi eſt illud ſtoicorum ſapientiſſimi, *Non oportere faſtidire ſenectutis extrema, & finem opperiri, non manu facere.* Quando n. quod idem ſcribit, *noſtra quoque providentiâ*

videntiâ & diligentiâ longior huic corpuſculo prorogari poteſt mora : cur ajebam otio ignavo me dedam, ſimulque ingluvie obteram, & quaſi ſuffocem tantillum illud, quod ex igniculo Prometheo (ut ſic loquar) ſuper-eſt mihi? Accedit, quod in publico rarò ſpiret mihi Favonius: quin *jubear ſine diſcrimine injurias ferre*, & *gratias inſuper agere pro navatâ operâ*, quæ provincia nimis quam dura mihi videtur, hac præſertim ætate. Nempè; ut olim, ita hodiè quoque, *Omnes peccata diſſimulant*, (agnoſcis verba ejuſdem ſapientis.) *fructu illorum utuntur, ipſa ſubducunt. Quis enim eſt, qui non beneficus videri velit? qui non inter ſcelera & injurias opinionem bonitatis affectet? qui non ipſis, quæ impotentiſſimè fecit, ſpeciem aliquam induat recti? velit quoque & iis beneficium dediſſe, quos læſit?* Quibus ut de meo aliquid addam, Novi, *non id demum hodiè, aut heri cœpiſſe, ut regium ſit impunè quidvis facere*: hoc

mihi, apud Germanos recens, in-
auditumque eſt, *Ambitionem obſcurare vim Honeſtatis, latroneſque gerere veſtem juſtitiæ.* Apud enim Majores noſtros rectè factorum verus fructus erat, rectè feciſſe, nec tamen ideò ut facere viderentur, cum ſola conſcientia ſufficeret: noſtris moribus qui maximè fallunt, volunt etiam conſcientiis ſuis conſuluiſſe, adeò nullus eſt metus τοῦ ἐκδίκου ὄμματος, quod Homerus vocat. Eſt quidem ita, ut Cic. alicubi conqueritur, *Nemo tam malus eſt, ut malus videri velit:* apud nos non ſpecies tantum recti iis, quæ improbiſſimè facta ſunt, obtenditur, ſed & *mentiri audent, contraque tueri,* non jam ſervuli Plautini, ſed etiam magnates. Hoc tum imprimis fit, cum duo conjurârunt in unum caput. Ut enim quod Ludovicum XII. Galliæ regem dixiſſe ferunt, in alio ſolo rapum intra biennium vertitur in napum, in alio contrà napus

in

in rapum: ita, dum ignorantia unius ſublevat ſuperbiam alterius, & viciſſim, immane quantum inſoleſcit uterque! reginam-prati ſe putans, cum urtica ſit! Et poterant ferri, ſi domi ſuæ ſaperent: at quia illos, ſecundum Lini verſum

ἡ ἐπιθυμίη ἡνιοχεῖ μάργοισι χαλίνοις,

Cœcorum ſurdorumque more feruntur in innocentes, ut loco pellant, quorum beneficio ſunt, qui ſunt. Hoc in furore ſi faveat ſemel Fortuna,

δή ποτε γίγνονται φαυλεπιφαυλότατοι,

Quod de Cappadocibus in Epigram. dicitur. Hinc tu intelligas licet, hoſpes ſuaviſſime, quid & quantum lucrer,

Dum me chara domus, dum me domus optima captum
Detinet, & ſtudiis deſtinat ingenuis?

Duo nimirum valdè inſigni-

ta, quorum alterum eſt maximi momenti ad ſtabiliendam valetudinem hanc, multimodis concuſſam: alterum ad quietem animi internam facit, nec ipſum ab hoc ſcopo alienum. Dum enim quotidiè contentus ſum prandio, cœnaque tenui, quotidiè habeo corpori honorem eum, quem debeo ex mandato Paulino, nec unquam altero die minus alacer ad ſtudia ſum. Hac ratione non metuo, ne

——Corpus onuſtum

Heſternis vitiis, animum quoque prægravet ipſum. Hac ratione (quod jam alterum eſt) non turbat me ἡ παρέγγραφος ἔννοια. Pœnorum quorundam, qui ſuccenſent mihi, quod parcius corpore tela illorum recipiam, quod non porrecto jugulo acceptem gladios intentatos, quod non comiter aſſurgam inſolentiæ illorum, quod non : Tum verò commotiorem me videns amicus aſſidens, injectâ manu, O-

mittamus.

mittamus, inquit, *iſta inamœna*, *quæ* μικροψυχίαν *quandam ſapiunt*, *indignam perſonâ tuâ*, *quam apud exteros geris*: agamus de rebus iis, ob quas huc veni. Quas verò? inquam ego. Miraberis, ubi dixero: ſed ita eſt, princeps hæc cauſa eſt adventus mei: Cupio à te audire, *Quatenus*, *&* *quibus Medicis libros ſcribere liceat?* Miror equidem, qui iſtuc tibi ſubveniat? ajebam. Subvenit non jam primum: ſed ſæpicule inter amicos ventilatum fuit, *Cur ſcriptis inclareſcere velis*, & non potius, Socratis exemplo λαθεῖν βιώσας, cum ea res invidiam tibi non mediocrem conciliet, & fortaſſis cicutam minetur! Subriſi iterum, & dixi, *Quaſi verò Socrates ob id*, *&* *ab invidia* *&* *à cicutâ immunis fuerit*! Cæterum, cum Socrate neutiquam me comparo: ſervio DEO meo in eruendâ VERITATE, ſecurus quid Diabolus machinetur. Hujus conſtantis meę voluntatis teſtem nunc advoco

T E, mi homo, & jubeo differre ad eos, qui utiquam tecum hac de re cogitarunt. Ne igitur fruſtra veneris, principiò hoc tibi perſuadere velis, contingere mihi in quæſtione propoſitâ; quod Socrati apud Xenophontem interrogato, *Quid ſit* παροινία? Qui reverà ſint illi, qui debent ſcribere libros, dicere tibi non poſſum: quid mihi videatur, poſſum, propoſito exemplo meo. Deinde, hoc tibi denuncio, nec tempus ferre, nec vires meas nunc permittere, ut diſcurſum inchoëm nimis longum: ſatis eſto popularem fuiſſe. Quo minus etiam à me exſpectare debes, ut explicem ſeptem illa requiſita, ſi ſic appellare poſſum, quæ Gal. aut quiſquis fuit autor τῆς συστάσεως τῆς ἰατρικῆς deſiderat in illo, qui pro judice controverſiarum in diſciplinis ſe gerere velit. Eſt enim in medio hac de re oratio incomparabilis SCHERBII noſtri, quam alio tempore, me ſubmi-

ſubminiſtrante, legere potes, niſi jam legiſti. Ad rem quod attinet, commodùm ſub manu eſt locus Gal.8. ex Anat.2. ab aliis ſicco pede tranſitus, quem en tibi! Et prolato libro clarâ voce legi, Δίκαιον ἐνόμιζον εὐθὺς ἐκ μειρακίου, τοὺς εὑρίσκοντάς τι νεώτερον, ἐκεῖνο μόνον εἰς συγγράμματα τίθεσθαι καὶ διὰ τοῦτο οὐκ ἔμελλον, ὡς ἐμὰ γράφειν, ὅσα τοῖς πρόσθεν εἴρηται. Vides ſalutare viri graviſſimi conſilium, quod utinam plures obſervent! Putem autem per τὰ νεώτερα illum intelligere, non tantum τὰς τῶν τεχνῶν ἐπιδόσεις ut Iſocrates vocat: ſed etiam, quin præcipuè, veras antiquorum ſententias, minus bene ab aliis explicitas. Ex quâ meâ oratione intelligis, ô optime, non eſſe me è cenſu multorum illorum, quos Satyricus ait tenere *inſatiabile ſcribendi cacoëthes*: quin puto, ſatis nobis negotii fore, ſi cùm judicio liberè verſemur in veterum lectione. Quo in veſtigio ſi

 ſteriſſet

ſtetiſſet GALENUS ipſe, (vides libertatem meam!) junxiſſet, inquam, lectioni ARISTOTELIS ἐγχειρήσεις ſuas ἀνατομικὰς, proh hominum fidem, quantis careremus moleſtiis! Mihi cum calcandam hanc viam propoſuiſſem, ſtatim initio profeſſionis meæ, hei, quot amicos amiſi! quot hoſtes mihi conciliavi? Nam

Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

At quantò ſapientius Philoſophus, Δεῖ προτιμᾷν τὴν ἀλήθειαν, καὶ τὰ ἴδια ἀναιρεῖν, καὶ τὰ λ. Ego verò Margitæ ſtultior ſim, ſi occœptem commemorare tibi torneamenta (ignoſce verbo aſperiori) quorundam ζκαιῶν circa uſum lienis & cerebri, ortum venarum & nervorum, iter ſanguinis è dextro cordis ventriculo in ſiniſtrum, & ſi quæ ſunt alia. Subitò enim evanuere, prodeunte in ſcenam divâ GALENI ipſius potentiſſimâ, ADRASTEA, & ludionibus iſtis

in

in faciem dicente, I P S E *hæc docuit; viden*? Succeſſu temporis, cum tenuia iſta ἀποσπασμάτια excepiſſent tria juſta, ut ſic dicam, opera, Com. in de. uſ. part. &c. πολλῶν μὲν θείων ψόφους ἀκήκοα: ſed qui palam deſcendere in arenam vellet, nemo unus fuit. Hoc cum pro certiſſimo V I C T O R I Æ argumento haberem, & verò ſubinde intelligerem à peregrinatoribus (de privatis literis nihil dico) Italos, Gallos, Anglos, Belgas, longè incorruptius judicare: perrexi alacer, divinitùs mihi injunctum eſſe hunc laborem perſuaſus. Hic cum ſubticuiſſem, *Ecquid*, inferebat alter, *neceſſitatis eſt; ut omnes velint idem! Abundet unuſquiſque ſuo ſenſu*? Ah, referebam, ὅλῳ τῷ παντὶ σφάλλῃ, dicet tibi pergamenus noſter! Poſtquam enim Philoſophia cum Medicinâ affinitatem contraxit, æquum, piumque eſt, ut, exploſo Mendacio, V E R I T A T E M unicè amemus: Tantò magis, quod hæc quidem κεκασ-

κεκασμένον ἐκ θεοῦ ἔργον

eſt, ut poëta loquitur. Illud autem à patre Diabolo. Unde intelligis, ſiquidem nihil eſſet incommodi, niſi nugarum & fabularum, poſſe ferri quædam ſine inſectatione, & relinqui autoribus ſuis: at verò quia implicantur mendacia tam funeſta, non abhorrere tantùm animo oportet, ſed & verbis demonſtrare fœditatem illorum. Neque verò ſatis eſt excuſaſſe conſenſu tot ſæculorum: quin imò attentè & circumſpectè diſcernenda ſunt vera à falſis, ut DEI quidem gloria fiat amplior: Diaboli autem offuciæ deteſtabiliores. Quò magis diſcedere nos fas eſt ab iis, qui vel autoritate ſolâ fultas, vel nudo verborum lenocinio tectas opiniones, non defenſant modò audacter: ſed contrà ſentientes calumniantur, quaſi parum intelligant. quaſi fruſtrà ſe opponant ſibi, quaſi præſtet ſilere, quam proferre talia,

lia, quæ deſtruunt veterem ſcholarum ὁμόνοιαν. Hui verò ὁμόνοιαν! Tam non poteſt conſenſus eſſe in malo, ut ſiniſtri illi patroni non inter ſe tantum diſſentiant, ſed ipſi à ſeipſis. Hæc adeò vis eſt ADRASTEAS illius, cujus memini, quæ facit, ut, qui ſtudiò velit premere Veritatem, non poſſit id facere perpetuò: ſed vel tandem cogatur dicere, quod res eſt. Nihil fingo, auſim de me promittere, erronea illa omnia, quæ publicè exſtant ſub velo Galeni, poſſe ex ipſo Gal. in verum ſenſum abduci. Hoc quia jam abundè factum eſt in liene, in ſemine tàm maſculo, quàm fæmineo, in unitate animæ, in aliis multis: ſatis nunc eſto ſtudii. Intereà fremant iſti, q. ad Sirenum cantus obſtruant auribus, frontem attollant, nares criſpent, falſiſſima quæque excuſando, defendendo, affirmando, negando: quid id ad me? τὸ ἐυμελ' ἐμοῦ. At, ô vos tales, ſoleo dicere

dicere aliquando, eſtne ludus, jocuſque, ſublatâ manu oſtentare acumen neſcio quod, in iis quorum pigere & pudere vos debebat! annon gloria divina hoc modo conculcatur! ſalus proximi periclitatur? bona ingenia pervertuntur? omnia ſuſque deque aguntur? Dicat mihi aliquis, dum callidè potius, & ad pompam diſceptat, quam ſimplice aſſenſione Veritatem colit: quod ſibi præmium ſperet hujus tam barbaræ acrimoniæ? tam craſſæ ſubtilitatis? Non ego is ſum, qui inſectatione aliorum delecter, quique præclaram operam eſſe ducam carpere aliena errata, & ex eâ re famam mihi quæram. Quin, ut modeſtiam meam comprobem omnibus, propendeo in alteram potius partem, multa commodè interpretando, ſpeciem abſurditatis avertendo, bonis, ingenuiſque viam ſternendo ad proſequendum Veritatis amorem. Sic

enim

enim cogito, Quâ facilitate, & confidentiâ acerbè alios exagitare potes tu: eâdem fieri poteſt, ut in te viciſſim inquiratur, & culpentur pro libidine optima quæque. Equidem valdè neſcio quid rigidis iſtis cenſoribus ſecuritatem polliceri poſſit, quò minus viciſſim cenſuram aliorum ipſi ſubire cogantur! Oraculum enim cenſendum eſt Homeri illud, Ὁπποῖον κ' εἴπῃσθα ἔπος, τοῖον κ' ἐπακούσεις

Quale verbum dixeris, tale audies.

Idem dico, in quibus manifeſta falſitas eſt, ſive antiquitatis obſtet autoribus, ſive novitatis offerat ſe ſplendor, ſumere animos oportet, nec Veritatem prodere metu vel infamiæ, vel alii, vel denique Diaboli ipſius. Sed neque ætatem contrà ſtantis revereri oportet. Quam in rem inſignis eſt locus apud Euripidem, ubi Oreſtes juvenis ſeni neſcio cui in os dicit,

Ἀπελ-

Ἀπελθέτω δὴ τῆς λόγοισιν ἐκποδὼν
Τὸ γῆρας ἡμῖν τὸ σὸν, ὅ μ᾽ ἐκπλήσσει νόον.

Aufer mihi, dum ratiocinamur, ſubitò
Senectutem tuam, quæ mentem mihi excutit.

Idem dico de conſenſu iſto diſſono. Quod enim reprobum eſt, nunquam fuit probum, nunquam erit. Uerum enim verò miſcela illa, ô ſuaviſſime, nov-antiqui, quam non eſt cujuſvis? Incrementum quotidiè capere artes, certum eſt, & errata antiquitatis multa corrigere poſteriorum ſagacitatem: ſed enim non proptereà ſperni vult antiquitas. Non rarò enim accidit, ut vetera in contemtu ſint, non culpâ rei ipſius, ſed vel negligentiâ, vel malitiâ hominum: Tum verò reddendus fuerit potius illis ſplendor primus, ſinceritaſque, & puritas, deterſa rubigine, quovis modo conci-

concilianda, quam ſinenda in pædore & pulvere. Tales lapſus qui animadvertere potuerunt, non debuerunt ſilere; ſed indicare, ut, quos everterunt, alleventur rurſus, non aliis ruinis premantur, uſque dum res ad inſanabiles corruptelas delatæ, morbos fecerint planè deſperatos. Sequius qui animati ſunt, h.e. qui tantum abeſt ut ſanare velint, & tollere malum, cum poſſint, ut non dubitent alere quoque, & fovere, & corroborare: illos preſſiùs cupio intueri fulmen illud, *Maledictus, qui facit opus* DOMINI *fraudulenter*. Servi enim nequam ſunt omnes tales, nec poterunt vel mutire coràm hero, à peregrinatione reduci. Audio quidem è longinquo illud, *Turbulentum & temerarium eſſe* ἅπασι μέλλειν ἑνὰ λέγειν τἀναντία: verum tanti facio, quanti muſcam iſtam, quam vides inſultare velle naſo meo, ſi paterer. Hic in riſum ſolutus ille, *Vah*, inquit, *hoc*

laudo!

laudo! Ita enim fas eſt! ita contemnere oportet contemtum iſtum! Vt tandem intelligas (ſub-inferebam ego) quid velim, declarabo me exemplo, è propinquo petito. Poſtquam per integrum penè quinquennium verſatus ſum in opere τῶν χρησομαθειῶν παθολογικῶν, & aliquam-multa vidi aliis inviſa: auſus ſum Animadverſiones has, quas vides, meditari in COMITEM MONTANUM de Morbo, eique contigua ſcriptam, ut publici juris faciam, ſi quâ fata ſinant. Ex his intelligas GALENUM quidem in hoc ipſo negotio in multis mancum eſſe: MONTANUM autem, interpretem ipſius, in pleriſque ſuccubuiſſe oneri. Illum quidem facilè excuſabit deſultorius ſcribendi modus, Plinio non diſſimilis, quem nec ipſe deprecatur, familiarem quippe Aſiaticis omnibus: hunc autem, poſt 25, annorum decurſum, & quidem in otio ruſticano,

cano , tantum reliquatum eſſe, quantum hic oſtendo, eſt quod mireris. GALENI res qui agunt, Commentatores, FVCHSIVS, VALERIOLA, IOVBERTVS, alii, quâvis nive frigidiores ſunt: MONTANI ſecuris ERASTVS, parum proficit: MONTANVS ipſe in Definitione, ut vocat, ferè verba dat nobis: PACIVS, Com. in Meth. med. aliquid præſtat: de STVPANO & SCHERBIO, præceptoribus opt. max. pietas me prohibet ſequius quid dicere. In his omnibus, cum variè trahatur negotium de morbis; adoleſcentibus verò conſultum non ſit omnia legere: putavi partium mearum eſſe in compendium redigendi vaſtitiem illam, ut ſub uno intuitu ſint tam τὰ χρηστὰ, quam τὰ κίβδηλα. Hac ratione ſuccurrere etiam volui inopiæ, tam illorum, qui non habent omnes illos autores, quam illorum, qui habere non poſſunt.

Atque

Atq; ut ὄγκον aliquem adipiſceretur opella, diffudi me in ſpecialibus quibuſdam latius, quam volent illi, qui perſuaſionem hanc de ſe habent, ſe jam omnia in ſcrinio pectoris ſui habere. In convulſione pręcipuè, quia Eraſtus obſtrepere voluit antiquitati, & ex motibus pręternaturalibus facere naturales: placuit conculcare teterrimum commentum, ne quem porrò moretur. Hoc tantò magis urgeo, quò verius eſt, reſumſiſſe hoc dogma magnos quoſdam viros, quorum autoritate decepti adoleſcentes quidam commiſerunt ſe aleæ valdè ancipiti. Hoc ipſum quia rectâ viâ deduxit me ad Epilepſiam & Apoplexiam, in quibus duobus affectibus tantæ hodiè ſunt tenebræ, quantæ in Cimmeriâ nunquam fuere: volui hîc quoque officioſus eſſe. In Epilepſiâ privatim auſus ſum in ſcenam protrahere decemviros Medicorum celeber-

celeberrimorum & breviter o-ſtendere imperitioribus, quam intutum ſit credere ſe huic pelago abſq; Palinuro, qui profectò ſolus hic eſt ARISTOTELES. Habes, ô exſpectatiſſime, rationem conſilii mei, cur ſcripſerim Animadverſiones has nov-antiquas, quam aliis meis laboribus ſine violentiâ accommodaveris. Spartam, quam nactus ſum, ornatam cupio pro viribus. Quâ cum voce abrumpo, feſſus jam & exhauſtus, teque ad cœnam voco, non opiparam, ſed Platonicam, quâ te contentum fore, ὦ γαθὲ, non minus quam Timotheum Athenienſem illum, ut videas & referre poſſis aliis, Quæ & quam ſtricta ſit Hofmanni vita? Intereà, Lector, habe tibi hunc διαλογισμὸν præfationis loco, & benè vale. Perſcriptum Altorfi, menſe Majo, anni 1639.

CASP. HOFMANNI

ANIMADVERSIONES

AD LIBRVM I & quæ inde dependent.

De Morbi definitione. CAP. I.

§. I. REctè quidem conjicit Montanus, Galenum methodum definiendi ſuam habuiſſe ab Ariſtotele, quamvis illius non meminerit: malè tamen judicat, vulgatam hodiè, & ab omnibus receptam definitionem eſſe οὐσιώδη. Quin eſt ὀνοματώδης tantum.

§. 2. Hoc probo ex duobus Galeni locis, altero l. de Diff. morb. 2. A. altero. 1. Meth. 5. B. In de Diff. venaturus definitionem morbi, his utitur verbis. ληπτέον δὴ κἀνταῦθα τὴν ὁμολογουμένην ἀρχὴν ὡς ἅπαντες ἄνθρωποι, καὶ τὰ ἐφ. Quaſi diceret. *Conſtat inter Logicos, eum qui velit conſtituere definitionem eſſentialem, debere progreſſus ſui initium facere à confeſſâ omnium hominum de re propoſitâ notione Ea verò eſt*, inquam ego, *definitio nominis.*

§ 3. Hoc eſt Ciceronis illud, 1 Offic. quod in omnium ore verſatur quidem,

 verùm

verùm à paucis rectè intelligitur. Ego verò, ab Hotomanno eruditus, principio Inſtit. Dialect. dico, *Cicero loquitur de definitione nominis.* Hinc ita infero:

§ 4. Quemadmodum Cicero de *Officio* (ita enim Scaliger vellet) ſcripturus, dicere debuit, quid vocet *Officium*, ut lectuis conſtet, quâ de re ſit futurus ſermo: ita Galenus de *Morbo* acturus, & conſequenter de *Sanitate* ei contrariâ, debuit exponere, quid apud Græcorum vulgus ſit νόσος, ἢ, ἢ νόσημα? quid item ὑγίεια?

§ 5. Inquit igitur, *Omnes homines dicunt ſe ſanos eſſe, cum poſſunt præeſſe rebus ſuis: omnes homines dicunt ſe ægrotare, cum non poſſunt. Ergò.* (*concludit.*) *Sanitas eſt tale quid, per quod agimus, quod unicuique noſtrûm officii ratio mandat: Morbus eſt contrarium quid, per quod non licet nobis eſſe talibus.* Hæc cum ſit πρόληψις omnium hominum, ſutorum, ſartorum, fartorum, fabrorum, ruſticorum, ſubroſtrariorum, ambubajarum: exſpectes ne ab his definitionem eſſentialem? Ad Logicas leges exactam?

§ 6. Tu verò, quiſquis es, fortaſſis iniquo oculo aſpicis illud meũ *Tale quid*? velleſque διάθεσιν Galenicã? Ego verò de induſtriâ feci, quod feci, & jam tibi hoc lumen affero. Τὸ διάθεσις, vel preſſè accipitur, vel latè.

latè. Preſſè, cum pro primâ *qualitatis* ſpecie apud Ariſtotelem in Categoriis. Latè cum pro quâcumque κατασκευῇ. In illâ ſignificatione volunt accipere omnes, & ſubitò incidunt in maximam difficultatem, Non omnem tantum morbum eſſe *qualitatem*: ſed & omnem cauſſam morbificam, omne ſymptoma. In hac accipi voluiſſe Galenum, nunc hoc tantum perſuadeat, quod ponit juxtà κατασκευὴν: κατασκευὴ autem ſit *qualitas*. Illa videlicet, quæ conſtituit genus Logicum univocum, quod Montanus vult. Imò ne quidem genus univocum eſt. (quod Eraſtus deducit, Anat. p. 44.) ſed æquivocum. Quid igitur eſt? Pacius in 1, Meth. col. 242. me docuit, eſſe διάθεσιν hanc Galeni διάθεσιν Ariſtotelis. 5. Metaph. (mihi, l. 4. c. 19.) Hoc eſt, *Diſpoſitionis nomen non poſſe redigi ad unum prædicamentum: ſed tanquam nomen Tranſcendens per plura prædicamenta vagari*, uti loquitur. Hoc prior ipſo ſcripſit Fernelius. 1. Patholog. 1. ut Montanus refert. li. 1. c. 4. extr. Iam ergò διάθεσις hæc extendit ſe ad omnia ea, in quibus ordo partium eſt. Eſt autem in omnibus prædicamentis, ut idem Montanus habet l. 4. c. 29. extr. Hoc ſi ad Galenum referas, dicet tibi eo ipſo loco, quem præ manibus habemus

διάθεσιν dici, quia per illam dicimur διατίθεσθ (ita enim lego.) πῶς, * *diſponi ita vel ita*. Diſponimur autem aliter atque aliter, non tantum cum in *qualitate* mutamur, hoc eſt, laboramus intemperie aliquâ: ſed & cum κατασκευὴ ἢ διάπλασις, *conformatio* corrumpitur, ſub quâ jam & quantitatem habeo, & numerum, & ſitum, hoc eſt, cum laboramus morbo aliquo organico. Hujus rei ſemina præbet mihi Montanus ipſe, ut mox dicam. Iam enim ita concludo, *Diſpoſitio Galeni eſt Tranſcendentale*, ut loquuntur quidam, non minus quam, *Vnum*, *Verum*, *Bonum*, &c.

§. 7. Vt ad Galenum faciam reditum: hactenus ille cum vulgo egit. In cujus ὁμολογίᾳ ſi ſubſiſtendum ſibi ratus fuiſſet, non ſubjunxiſſet, ἀρχὴ δὲ κἀνταῦθα ὁμολογουμένη. *Quaſi dicat: Ab hac publicâ confeſſione de Sanitate & Morbo, progredior ad aliam, non minus publicam, quæ eſt, ſanitatem quidem conſiſtere in συμμετρίᾳ: Morbum autem in ἀμετρίᾳ*. v. g. cum febricitat quivis è vulgo, dicit, ſentio calorem p. n. Cum tuſſit, cum dolet, quâcunque parte, communis ſenſus revocat illum ad ſtatum ſuum priorem, in quo benè illi erat.

§. 8. Quo loco moneo, ſive Galenus ſpecta-

* Apud Ariſt. eſt πῶς ἔχειν.

ſpectaverit, ſive non, hæc συμμετρία, hæc ἀμετρία eſt verum & Logicum genus *Sanitatis* & *Morbi*, adeoque ſunt hæc duo τῶν πρός τι. Vt enim συμμετρία eſt cujuſdam συμμέτρου : ita ἀμετρία eſt cujuſdam ἀμέτρου. Hoc verò ad prædicamentum *Relationis* ducit nos tàm certâ viâ, uti abſque etiam Ariſtotele, dicere poſſimus, *Tam Sanitas, quàm Morbus ſub uno hoc ſummo genere ſunt, non ſub alio quoque, qualitate.* v. g. quod Montanus dari ſibi vult. Iam igitur quia συμμετρία pro triplici corporis noſtri conſtitutione, triplex eſt : erit utique & ἀμετρία triplex. Quare, cum *Sanitatem* definierimus, *Eſt συμμετρία temperamenti, organiſationis, & unitatis* : certè Morbum definiemus, *eſt ἀμετρία temperamenti, organiſationis, & unitatis.* Vt enim Galenus, 1.Meth.7. *Sanitas* & *Morbus* cum ſint contraria, indubitatò ſunt ſub eodem genere Logico.

§ 9. Et hæc quidem ex priori loco exſculpere potui : ex poſteriori multò evidentior erit res, ſi hinc ſumam exordium. Duplex cum ſit propoſita ἀρχὴ, unde in poſſeſſionem utriuſque definitionis veniamus ; alterum quidem principium longè meliùs & luculentiùs proponit; alterum autem obſcurius, involvens quip-

pe ſe multiloquio illi Aſiatico. *Quod ad illud*, ſignificantiſſimis verbis declarat, ut ego quidem concipio Latina. *Quo igitur modo*, inquit, *inveniemus methodicè id, quod quærimus? Quo alio, quam inventâ notione, omnibus hominibus confeſſâ, abſque quâ eſſentiam propoſiti negotii nemo invenerit? Hanc notionem dixi oportere omnibus in confeſſo eſſe, alioqui ne principium quidem futuram.* Sed quæ tandem eſt illa notio? *Omnes homines dicunt ſe eſſe ſanos, cum poſſunt agere res ſuas: omnes homines dicunt ſe eſſe ægros, cum non poſſunt. Ego ſanè* (concludit.) *video omnes ita uſurpare* τὸ ὑγιαίνειν καὶ τὸ νοσεῖν.

§ 10. Ego duo ſubnoto. 1. Cautè hîc loqui Galenum, nec uti vel τῆς διαθέσεως, vel τῆς κατασκευῆς voce, fortaſſis, quia lites conciverant apud eos, qui, pro locutione prædicamentali habentes, volebant Logicum genus eſſe morbi. 2. Duo iſta oppoſita, ἔννοια καὶ οὐσία, planiſſimè dicere & edicere nobis, ne definitionem vulgatam pro eſſentiali habeamus. Ait enim expreſsè, *Abſque hac* ἐννοίᾳ *ſi ſit, nunquam perventuros nos ad* οὐσίαν. Iamque adeò hæc eſt prima illa ἀρχὴ in de Diff. morb.

§ 11. Huic ſubjiciens alteram, videtur illam adimere vulgo, per hæc verba,

οὐκ ἔτ' ἐκ τῶν πολλοῖς δοκούντων: ἀλλ' ἐκ τῶν ἐπιστημονικῶν λημμάτων. Mihi videtur manca eſſe oratio, itaque ſolidanda, δοκούντων μόνον ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν. Hoc enim poſtulant illa, quæ ſequuntur, ὁμολογουμένην ἅπασι. Et diſtinctius, ὁμολογεῖται γὰρ πᾶσιν ἀνθρώποις, οὐκ ἰατροῖς μόνοις ἀλλὰ καὶ τοῖς τυχοῦσι. Quidquid ſit.

§ 12. Propoſitus in exemplo oculus, ſanus & æger, tacitè inſinuat nobis τὸ σύμμετρον καὶ ἄμετρον, ſive τὴν συμμετρίαν καὶ ἀμετρίαν, in quarum illa ſanitas eſt, in hâc morbus. Vt dici jam debeat, Galenum ex ἐννοίᾳ illâ, de quâ in primo membro, perveniſſe ad οὐσίαν, *ad definitionem eſſentialem*, quæ conſtituenda ſit eo modo, quo dixi. Huc ducit me infallibiliter, quod cap. ſeq. 7. primum quidem arguit falſas Theſſali, Iuliani & Olympici ſanitatis & morbi definitiones: ſubinde autem infert ſuam, Actiones partium naturales eſſe ſanitatem: nonnaturales morbum. Dicere autem Naturale & Non-naturale, re ipſâ non differt à ſymmetro & ametro. Quamobrem cum tandem dicit, *Neminem unquam tam fuiſſe ſtupidum, ut ſub alio genere* (Logico) *poſuerit ſanitatem, ſub alio morbum*; idipſum verò genus ſit *Relatio*: pro eſſentiali definitione habeo illam, quam dixi.

§ 13. Et hæc quidem nunc temporis ita poſita ſunto, tanquam probabilia: quæ ſi fuerint Ariſtotelis etiam dogmatis conſentanea, audebo dicere, proba quoque eſſe. Hoc quia demonſtravit Montanus ipſe l. 1. c. 10, fortè jam mihi quieto eſſe licet? Vtinam! Quia enim dicere audet, & Ariſtotelem & Galenum docuiſſe, Morbum juxtà cum Sanitate, non Relationes duntaxat eſſe, ſed & Qualitates:

— novus rerum mihi naſcitur ordo:

§ 14. Vt paucis me expediam, Ex Philoſophiâ hoc præhabendum eſt, diſtinguendas eſſe alterationes prævias ad formam à formâ, ſive, quod idem eſt, motum ad terminum à termino ipſo, fieri à facto eſſe. v. g. In generatione hominis, multæ illæ & ſucceſſivæ alterationes ſanguinis materni ad hominem, ſeu ad formam hominis, non ſunt generatio: tum demum verò eſt, tum dicitur homo generatus, in illo *νῦν*, in quo natura imponit finem operi ſuo. Ita demum fit pullus, per 24. dies illos, quibus Gallina incubat, & ſubinde accreſcit aliquid, nondum dicitur pullus: ſed tum, cum perrumpit putamen ovi. Ita in omnibus habitibus, Ergo in ſanitate quoque & morbo. Sanitas igitur partis dicitur, cum

& ſimilares eo uſque alteratæ ſunt, ut agere poſſint: & diſſimilares ita diſpoſitæ, ut ad actionem nihil deſideretur. Viciſſim, Morbus appellatur, cum vel hæ, vel illæ, vel utræque è naturâ ſuâ abiêre ita, ut agere non poſſint. Vbi notandum venit, Apud accuratè loquentes diſtingui prævias ad morbum alterationes à morbo nominibus. Morbus enim νόσος ἢ νόσημα eſt: alterationes πάθη ſunt, ἢ παθήματα.

§ 15. Ergò, cum Montanus dicto loco admittit aſſertionem Ariſtotelis, Sanitatem & Morbum eſſe res factas; ſed negat inde ſequi, qualitates non eſſe: non videt, quâ in parte ſit ſita vis demonſtrationis Ariſtotelis. Si enim ſunt ἀντιδιῃρημένα, ut ſunt, Eſſe in fieri, & Eſſe in facto: certè negato alterutro, negatur alterum. Ideò manet inconcuſſum hoc, ſi Sanitas & Morbus ſunt in facto eſſe, nullo modo ſimul ſunt in fieri. Quaſi verò, inquiat quis, non dentur qualitates in facto eſſe? Dantur, vocatæ ab Ariſtotele in quali ἕξεις. Illas verò quo modo Morbis accommodabis? Vt planius dicam, quo modo probabis mihi, omnes morbos eſſe hoc ſub genere? Intemperies (fortè) ſolæ huc faciunt; Organici morbi cum cohærentibus, nullâ vi huc pertrahi poſſunt.

Quare Logicus dicet, definitio erit anguſtior definito.

§ 16. Atqui Montanus refert, Ariſtoteles ipſe dicit, *Gigni & corrumpi, alteratis quibuſdam*? Argumentum tale eſt, Morbus fit alteratis quibuſdam, Alteratio eſt qualitas, Ergò morbus eſt qualitas. Heic quis non ſubitò videt, ſermonem eſſe de ſolis Intemperiebus? è quibus etiam exempla petit? Annon latet quoque confuſio motus ad terminum cum termino ipſo? Quidquid ſit, Vera eſt Chriſtophori à Vegâ poſitio, *Morbus ita eſt ad aliquid, ut non ſit qualitas*, veluti Montanus ipſe loquitur.

§ 17. Tamen Noſter hic inſtituit c. 11. probationem illius, *Morbum tàm in Relatione eſſe, quàm in qualitate*. Hanc in rem ſumit ſibi ab initio μέγα λίαν. αἴτημα Ariſtotelem & Galenum idem ſentire.! Sentiunt idem, ſi rectè explicentur: non ſentiunt idem, ſi Montanum audias. Ariſtotelem eò adigi, ut omnem morbum dicat eſſe *qualitatem*, indignum cogitatu eſt. Quid Montanus probârit, audivimus in hoc veſtigio. Galenum velle idem, non credam, etiam ubi dixero me credere. Vt enim non ſemel dixi, *Diſpoſitio ipſius non pertinet ad ſolas qualitates*, nec poteſt negare ipſus Montanus, ut videbimus. Sed de conſenſu & diſſenſu ſatis: Montanus, uti

uti apparet, iterum peccat in eo, quod particulare vult eſſe univerſale. Sed & (hei mihi!) quàm frigidè ſtat in particulari illo! Cum enim in Intemperiebus deberet oſtendere & *Relationem*, & *Relationis fundamentum*: quid facit? Temperies carnis (hanc enim pro exemplo ſumit.) inquit, quatenus calida & humida eſt, *Qualitas* eſt: quatenus συμμέτρως talis eſt, *Ad aliquid* eſt. Temperies eò uſque vitiata, ut actio lædatur, *Qualitas* eſt: quatenus ἄμετρ☉ fit, *Ad aliquid*. Quid multis? Qualitas illa tua. (in rei veritate.) fundamentum eſt Relationis, & tàm non pertinet ad prædicamentum qualitatis, quàm cœlum non attingit terram. Quanta enim Logices ἀπειρία eſt, unam, eandemque rem, eodem modo conſideratam, eſſe in diverſis Categoriis! Ab hac ἀπειρία abſolvo Galenum, quod *Diſpoſitionem* ſuam nunquam intruſerit in cenſum prædicamentorum, indagans quippe definitionem nominalem tantùm.

§ 18. Vt conſtans jam eſſe poſſit ſententia Ariſtotelis & Galeni, *Sanitatem* quidem eſſe ſolam συμμετρίαν: *morbum* autem ſolam ἀμετρίαν, adeoque utramque affectionem eſſe inter *Relata*. Quod ſolum facit umbram Montano, eſt, quod Galenus præter duo illa, aſciſcit διάθεσιν.

Is verò ampliorem facit ſibi umbram, cum explicat illam de *qualitate* ſolâ. Non propterea (dixi ego) Galenus exagitandus eſt; multò minùs credendum eſt, ex διαθέσει & συμμετρίᾳ fieri unam ſanitatem; ex διαθέσει & ἀμετρίᾳ fieri unum morbum. Quin ipſa rerum Natura abhorret ab hac μισγαγγείᾳ.

§ 19. Quamobrem denuò clarâ voce & diſtinctè dico. I. Definitio illa πολυθρύλλητος non eſt definitio eſſentialis, inquam. II. Διάθεσις Galeni non magis pertinet ad hoc, illudve prædicamentum, quàm Vnum, Verum, Bonum, &c. III. Si omninò Galenus, additis aliis quibuſdam, conficit definitionem, quæ uſui Medico ſufficit; non ob id illa legibus Logicis ſubjicienda eſt. τρόπος enim ἐπιστήμης hæc & alia permittit. Reſtat ergò ſola συμμετρία & ἀμετρία, quæ dant nobis verum genus Logicum Sanitatis & Morbi.

§ 20. Nec hilum valet aſſertio Montani infrà l. 2. c. 12. Bonam, malamque temperiem eſſe, non ſolas qualitates: ſed & relationes, ideoquè ſymmetriam & ametriam. Quo modo enim probatur? Multò vilior eſt illa in Ant-Eraſt. f. 78. a. *Galenus non conſideravit ametriam nudam, quæ ſit inter ipſas qualitates: ſed actiones omnes*

omnes, quæ à qualitatibus iſtis emanant. Et paulò antè, *Morbi ſunt qualitates, ut diſpoſitiones ſunt: ſunt eorum, quæ ad aliquid, ut ſunt immoderatæ, quæ immoderatio pertinet ad ſubjectum qualitatum.* Heic primum omnium abominabilis planè mihi eſt miſcela illa prædicamentorum. Deinde ſcire volam, quæ ſit *Nuda illa ametria*? Quantum intelligo, *quæ non includit actiones: quæ non connotat ſubjectum, cujus eſt actio.* Ergone ametria veſtita includit & actionem & ſubjectum? Mirabilis ſermo! Si ametria eſt inter *Relata*; iſta autem omnia conſiderantur cum ſuo ſubjecto, fundamentove: quomodo ulli ſano ſuccurrere poteſt ulla ametria nuda? vel ideò, quia Galenus tàm expreſsè alligat diſpoſitionem ſuam partibus? Tertiò, nec illud fortè prætereundum eſt, *Nunquam*, inquit, *Galenus conſtituit temperiem cordis proportionem quandam inter calidum & frigidum, cum proportio illa non habeat vim agendi.* Imò, tu ipſe l. 1. c. 3. ſanitatem quidem collocas in ſymmetriâ quatuor primarum qualitatum: morbum autem in diſſolutione earundem, quæ actionibus noxam inferat. Sed quid ego hæc?

§ 21. Dic mihi denique, ô vir magne, quæ tibi ſpes fugæ ex iſtis anguſtiis? Certè Mirmillo invenit heic retiarium! An per

hæc, quæ magnus tui admirator, SCHERBIVS, adnotârat? *Sanitas & morbus ſunt qualitates, ut diſpoſitiones ſunt: ad aliquid referuntur, ut moderatæ, vel immoderatæ ſunt.* Eatenus enim referuntur ad ſubjectum diſpoſitionum ipſarum. An per hæc? *In definitione morbi Galeni expreſſè ponitur & relatio, & relationis fundamentum. Illa eſt in duobus iſtis vocabulis, παρὰ φύσιν: hoc in διαθέσει ipſa. Vnde fit, ut morbus ſit diſpoſitio immoderata.* Parcant mihi manes venerandi doctoris! Non video heic quidquam ſolidi. Primò omnium recidunt hæc in idem, nec differentia eſt ulla, præterquam in verbis. Deinde quis ſubitò credat, cum τὸ διάθεσις tot habeat ſignificata, complectatur (inquam) non *Morbum* tantùm, ſed *Cauſam* quoque cum *Symptomate* triplici: heic capi de *morbo* ſolo? Videantur ſuper hac de re litigia mutua Eraſti, in Anat. f. 55. & ſeq. & Montani in Ant-Eraſt. f. 29. b. & ſeq. Tertiò cum eadem διάθεσις jam ſit profligata extra limites Categoriarum, quis ultrò recipiat? Quartò, niſi egregiè fallor, implicant hæc manifeſtam abſurditatem. Quæ enim toto genere differunt, quomodo ſimul ſtare poſſunt? Qualitas eſt fundamentum relationis? Hujus generis & illud eſt, *Morbum eſſe Relationem,*

nem, falſum eſt : morbum includere Relationem, verum eſt. Heic enim eſt Relatio, ἀμετρία: heic eſt fundamentum, corpus ἄμετρον. Video nimirum, ad talia diverticula cogi eos, qui *Diſpoſitionem* pro genere Logico habent, quod Galeno ne quidem ſub mentem fuit. Hac in re confirmat me, quod negant Montano, Morbum eſſe tantùm qualitatem: imo dicunt, eſſe in diverſis prædicamentis, quatenus accedit illis ametria. His verò annon juvatur Pacii ſententia de naturâ Transſcendentali, ut quidam loquuntur? Plumâ levius eſt, quod ampliùs dicitur, *Galenus per Diſpoſitionem intellexit partem ita diſpoſitam.* Vbi enim tum *qualitas* ſtabit? Paucis Calor. (ita de reliquis quoque) quà calor, abſtractivè, non facit morbum : ſed Calor ἄμετρος cum ſuo fundamento. Hæc duo juncta morbum faciunt, & habet alterum rationem *Relationis*, alterum *fundamenti.*

§ 22. Concludo igitur denuò negotium totum, GALENVS non vult haberi definitionem ſuam pro eſſentiali, & fruſtrà ſunt omnes machinæ : ipſa rei Natura repugnat, & dicit, *Morbus eſt in ſolo prædicamento Relationis*, & definiendus, ut ſcripſi § 8.

De

De eâdem definitione CAP. II.

§ 1. VIdimus, quàm felix in ſtabiliendis ſuis fuerit Comes noſter; videamus, quàm firmus ſit in refellendis aliis. Tibi verò, quiſquis es, permiſſum eſto ſaltu ſuperare. Mihi enim animadverſiones meditanti, neceſſitas hanc legem imponit vel levi brachio tangendi.

§ 2. Cap. 5. nimis præceps eſt in affirmativâ ſententiæ illius, Διάθεσιν Galeni eſſe eandem cum διαθέσει Ariſtotelis. Neuter enim eodem ſemper modo accipit. *Non Ariſtoteles*, qui in Categoriis quidem ſtrictius accipit quàm Galenus, pro eâ ſcilicet tantum, ob quam aliquid dicitur *Quale*: in Methaphyſicis autem tribus modis, ſecundum locum, potentiam, & ſpeciem. Vbi propono conſiderandum Pacio, Annon morbus κατὰ δύναμιν ſit is, qui infrà dicetur *Futurus* ſeu *Fiens*? v.g. ſtatus athleticus ſolvendus eſt, licet morbus nondum ſit. *Non Galenus*, qui, ut dictum eſt nuper, aliquando latiſſimè accipit, pro eo omni, quod p. n. eſt: aliquando preſsè, pro morbo tantùm. Hoc ſtabilire oportet quibuſdam locis. 2. Meth. 3. diſertè ait, πᾶν τὸ ὁπωσοῦν ἔχον, ἔν τινι πάντως ἐστὶ διαθέσει, *Omne corpus quomodo-*

quomodocunque ſe habeat, omninò dicitur eſſe in διαθέσει aliquâ ſeu ſtatu aliquo, ut Cicero loqueretur. Ne dubites, in veſtigio ait, τὸ δ' ἐν δυσλύτῳ διαθέσει, καθ' ἕξιν ἤδη διάκειται, *quod verò διάθεσιν habet firmam, jam καθ' ἕξιν eſt diſpoſitum.* Vtramque ſignificationem exprimit 5. in 6 Epid.4. ubi ait, *Vocare ſe diſpoſitiones morbificas, non eas tantùm, quæ jam ſunt: ſed eas quoque, quæ fieri incipiunt.* Quibus verbis innuit morbum in potentiâ jam dictum. Quò minus facilè credat Montanus, Galenum ſemper in ſtrictâ illâ ſignificatione habere, quam exponit de Diff. ſym.1, ibi, Καθόλου δὲ τὸ διατίθεσθαι, &c. Quin imò, paulò antè meminit etiam latæ ſignificationis, ibi ἕκαστον τῶν ὄντων, &c. Quin, quod jam deprehendo, Infrà c.29. ut & in Ant. Eraſt. f. 20. b. de induſtriâ ſtabilit idipſum.

§ 3. Tollatur ergò totum hoc, tanquam frivolum & inane, & anquiratur in id potiùs, Quo modo Galenus acceperit, διάθεσιν in negotio, quod præ manibus eſt? Accepit, ut ego, tanquam *Transſcendens.* Hoc ſi ſenſiſſe quoque Montanum probâro, jure merito — *Phyllida ſolus habebo.* Hem tibi autem! Initio cap. 6. hæc ſunt ipſius verba, & quidem ex Simplicio, Com. in Categ. *Qualitatem, licet*

eet ſit genus per ſe,& ab aliis novem ſeparatum:latè tamen ſe fundere,& reliqua omnia occupare. Hoc dum per exempla explicat, quid facit aliud, quam is, qui pro *Transſcendente* declarat? hoc demto, quod *qualitatem* vocare audet? Hoc dum munit autoritate D. Thomæ, 1. 2. quæſt.49. art.2. quid aliud facit, quam quod ego deſidero? Hem tibi iterum! Cum cap. præc.5. ait, *Hæc vox in nullo prædicamentorum eſſe poteſt, quia in quocunque ſit, excludit morbos aliorum*: dicit, quod ego volo. Hoc cum fulcit autoritate Turriſani, tantò mihi affinior fit, quò clariora ſunt verba Monachi, *Compoſitio* (ita barbari olim vertebant διάθεσιν) *eſt unio. Vnum non eſt in genere, ſed genera transſcendit, ſicut Ens*, Quare de omnibus generibus dici poteſt. Hem aliud quoque! Cum lib.4. c.29. extr. *Ordinem quidem concedit eſſe in prædicamento ad aliquid; poſſe tamen in omnibus prædicamentis reperiri*: annón tacitè huc tendit? putà, quatenus διάθεσις eſt τάξις apud Ariſtotelem in Metaph. qua de re heic fine cap.7. Iam ergò ab ipſomet Montano hoc beneficii habeo, ut confidentiùs dicere auſim, Διάθεσις Galeni in nullo præcisè prædicamento eſt, ſed in omnibus, quatenus *Transſcendens* eſt. Et tolerat ſignificationem vulgi tàm

Græca-

Græca, quàm Latina lingua : verùm à prædicamentis aſpellit illum rerum natura, & recto tramite ducit nos ad ametriam, ut dixi.

§ 4. Niſi penitiſſimè fallor, eodem tendit Parolinus, Prof. Ferrarienſis, (hoc à Scherbio habeo.) quem Montanus refutare vult in Ant-Eraſt. f. 75. De Parolino hoc imprimis miror, Concedere quidem eſſe morbum ad aliquid: ſed divellere relationem à fundamento ſuo. *Formaliter quidem, inquit, morbus eſt ἀμετρία : at materialiter, ratione termini, ſeu fundamenti, quod Medicus principaliter reſpicit, connotat.* Quid connotat, ô Paroline? Exſpectabam equidem *Qualitatem* Montani: ſed diſſimulas, uſus interim iiſdem pœnè verbis. Eodem ducunt illa, *Diſpoſitionis nomen ad qualitatem referri: non ita tamen, ut non poſſimus dicere, aliquid eſſe morbum, quod non aliquam ejus ſpeciei qualitatem in ſe contineat. Sufficit enim quod ſit modò ſubſtantia,* &c. Quæ verba, cum Montani verbis collata, eandem & longitudinem & latitudinem habent. Sed neque aliò vergunt illa in Digreſ. f. 77. b. ext. *Hinc patet, cum dicimus; Sanitatem eſſe συμμετρίαν* &c. Cupiam autem ab utroque audire, quâ fronte divellere auſint ἀμετρίαν καὶ ἄμε-

τρου

τερον,ut pridem innui? Alterum enim ponit alterum,ut vara vibiam, quod in proverbio eſt. Summa λῆρ⊙ μακρὸς, diceret Galenus, qualis (addam ego.) inter Eſernios & Pacidianos (quo adagio ex Cicerone libenter utitur Comes) eſſe ſolet.

§ 5. Quidquid fiat de Parolino: Montanus ipſe, dum Fuchſium refutat, tantùm non obviam mihi it. Hoc intereſt, quod nimis longis utitur ambagibus, cum breviori viâ, quam SCHERBIVS olim, ὁ δαιμόνι⊙, nobis ſternebat, pervenire poſſet. Cum hoc ergò dicam. Calculus, v.g. nec morbus eſt , nec in calculo morbus eſt : ſed calculus in parte, cui inſidet, facit eam diſpoſitionem, ſi cum vulgo loqui tibi placet, eam ἀμετρίαν, ſi cum Philoſophis, quæ morbus eſt, Obſtructio ſcilicet, ex conformationis vitiis illis, quæ ſunt in viis anguſtis. Ita in Obſtructionibus reliquis, humor impactus , nec morbus eſt, nec in eo morbus: ſed pars morbi illa, quæ Relationis fundamentum eſt. Quod cum ita ſit, quis ferat illum, qui velit dicere : Morbus eſt ſubſtantia, quia calculus eſt ſubſtantia? quia humor eſt ſubſtantia? Non minor eſt ἀτοπία illa, quærere in talibus qualitatem, quod Montanus facit.

§ 6. Et quia ad Fuchſium pervenimus

mus,de cap. quidem 6. nihil amplius dicam: de 7. autem non niſi pauca. Abſurdiſſimum eſt, cauſas quoque eſſe ſubſtantias, quod Galenus illas vocet diſpoſitiones. Cadente enim illo, cadit ſimul hoc. Interim Montanus labitur in retia noſtra, Cauſas eſſe diſpoſitiones, quatenus ſunt qualitates transſcendentes. Quæ quia impropriè ſunt diſpoſitiones, quippe *διαπλάσεις, conſtitutiones*, quoque, quæ nullâ ratione dici poſſunt qualitates, propriè, inquam; ſtat argumentum Fuchſii & Valleriolæ, nec quidquam agit Montanus, cum ſimpliciter *ἀντιστρέφει*. Et quàm ridiculus ſit, cum ait, Quemadmodum ſanitas ſine controverſiâ eſt qualitas, ita morbus quoque! Sunt qualitates, ſed quales tu cap. anteced. dixti, impropriè dictæ, non autem quales ab Ariſtotele dicuntur in Categ. Hoc prorſus vult Philoſophema ex Simplicio, quod annectit Comes, & comprobat Eraſtus, Anat. p. 31.

§ 7. Dum profundè contemnit cap. 8. primum, (ut ipſe quidem collocat.) Chr. à Vegâ argumentum, oſtendit ſe parùm prudentem & pudentem. Hoc ita formo, *Genus complecti debet omnes ſpecies morbi, qualitas non complectitur*, Ergò. Minor probatur, Morbos in Magnitudine

non complectitur. Quid ille? Non comprehendit eo modo, quo ſpecies in genere ſunt: ſed quo tanquam in ſubjecto. Periculoſa reſponſio, diceret Eraſtus. De ſpecie quæritur, non de ſubjecto. Inde fit, ut, dum fatetur, morbum in magnitudine non contineri ſub genere dato (quantitas enim non eſt qualitas, & viciſſim.) concedit argumentum. Tandem cum addit, Morbus non eſt quantitas ipſa, ſed vitium, & mala diſpoſitio: manibus & pedibus repit in caſtra noſtra.

§ 8. Poſtquam cap. 9. introduxit Vegam dicentem, Abſurdum dictu eſſe, Calor eſt ametria, quod hæc locutio cauſæ potius morbificæ conveniat, quam morbo: regerit, Non eſt abſurdum, ſi de calore p. n. accipias. Pax!

§ 9. De cap, 10, & 11. jam dixi, quod ſatis eſſe poſſit.

§ 10. Ad ea, quæ cap. 12 de Eraſto ſcribit, quia reſpondit ipſus, Anat. p. 12: non ego ero fruſtrà tædioſus. Conſiſtit enim res in facto. Alter ait, alter negat. Eadem ratio quia valet de duplici Digreſſione in Ant-Eraſt. f. 7 & 9. verbum non commutabo. Et quia meræ λογομαχίαι ſunt, quæ in iiſdem ſunt, à f. 11. uſque ad. 29. An exceſſus primarum qualitatum morbi pòtiùs ſint, quam cauſæ? pariter

pariter abjicio. Cauſam dico, quam SCHERBIVS ſæpe; *Omnes linguæ utuntur Relativis, loco abſoluti, ſeu fundamenti*. Et hæc eſt ſeptima regula inter illas, quas Relatis transſcribit PH. MELANCHTHON. Hanc ita accommodare oportet, ut pateat dolus. Cum dico Temperamentum, intelligo qualitates ita temperatas, non in abſtracto, ſed in concreto.

§ 11. Cap. 13. incipit agere contra Argenterium, cujus argumenta ibi numerat. Horum I. eſt cap. 14. *Diſpoſitionem eſſe vocem ambiguam.* Nihil mali, dico ego. Mens enim Galeni nunquam fuit ea, quæ affingitur illi, quærendi (inquam) genus Logicum, conſtituendive definitionem eſſentialem. Quæ contra Fuchſium in Inſtit. obiter denotat, profectò ſapiunt inſolentiam aliquam. Vtut enim definitio non ſit: rectè tamen ait, ſi rectè intelligas, Διάθεσιν capi aliquando pro omni eo, eà quo corpus noſtrum afficitur. Et hoc favet rebus quoque meis.

§ 12. II. III. IV. Argumentum copulat cap. 15. & rurſus laceſſit Fuchſium, Ego de Argenterio quidem dicam, quod SCHERBIVS oræ codicis ſui adſcripſerat. *Multa ille peperit, ſed ſine obſtetrice*, hoc eſt, *ſine organo Logico*, ut vo-

cat

car Plato: de Fuchſio autem, quod idem, *ſolet bonas cauſas malè agendo perdere.* Res breviter ita ſe habet. Duæ ſunt voces apud Græcos, αἰσθητὴ καὶ μόνιμος, quas Galenus jungere ſolet τῇ διαθέσει. Hinc quæſtio inſtituitur, ſitnè de eſſentiâ morbi, ut & ſenſilis ſit, & ſtabilis? Diſtinguo, ut infrà, *Aliter ſe habet in* ὑγιεινῇ : *aliter in* θεραπευτικῇ. In illa ſatis eſt, ſi ſit læſurus actionem : in hac neceſſe eſt, ut læſio ſit ſenſibilis, ſive illa duret per medium horæ, ſive per totum diem. Cœterum, cogere velle Galenum, ut vel ſemper cum Ariſtotele ſit, vel ſemper cum illo loquatur, inſania eſt.

§ 13. Hinc æſtimet aliquis. V. quod eſt cap. 16. Morbus inſenſilis (in Therapeuticis) oppoſitum habet in adjecto, ne dicam ἀεὶ παθείαν introducere. Oportet igitur ſenſilis ſit juxtà, & lædat actionem. Quod ſi Galenus alicubi negat, reſpicit ad axioma ſuum, *Læſo inſtrumento læditur actio ipſius.* Τὸ μόνιμον igitur pertinet, non ad durationem temporis : ſed ad factum quid, quo diſtinguitur ἀπὸ τοῦ πάθους. Quidquid ſit, rectè Montanus ait, *Eſt quæſtio Logica.*

§ 14. VI. Cauſam eſſe diſpoſitionem (cap. 17.) nihil abſurdi eſt, ut & lædere actionem. Morbus enim primò lædit: cauſa

cauſa ſecundariò, ut Mont. ipſe cap.ſeq. Vanum verò eſt, cauſam eſſe aliam à Relatione, hoc eſt, conſiderari poſſe in ſe, tanquam qualitatem : non autem ratione cauſati. Iam igitur hoc non tollit τὸ πρώτως.

§ 15. VII. *Facultatem lædi antequam lædatur actio* (cap. 18.) multò minus abſurdi eſt. Verum enim verò aſſertio hæc opus habet παραμυθίαις quibuſdam. I. *Temperamentum* vocat ille aliquando *Facultatem*, etiam *Animam*, Medicâ conſideratione. Et ſunt hæc duo apud ipſum reverà unum, nec dici poteſt alterutrum eſſe prius aut poſterius. Hinc Montanus in Ant-Eraſt. f. 64. b. ait, Morbum non lædere facultatem : ſed eſſe ipſammet læſam facultatẽ. Quo loco admonendus fuerit Eraſtus, Anat. f. 23. Galenum l. quod animi, conficere, quod vult, *Temperamentum eſſe animam.* Non enim Philoſophum agit ſed Medicum, ut mox amplius dicam. II. *Non rarò à Temperamento recedit, Facultatemque vocat Spiritus*, ex partibus principibus influentes, abs quibus temperamenti actio nulla eſt. Hoc alii ita efferunt, *Actiones fluunt non â ſolo* temperamento proprio, ſed & â communi, quod â corde eſt. III, Cum triplex ſit corporis noſtri

conſtitutio,ut mox dicetur in diff. morb. actio dependet,non â ſolâ partium Temperie : ſed & ab Organiſatione, & tandem Vnione earundem. IV. Eædem non fiunt,non tantùm affectâ parte, quæ laborat,ſed & alterâ, hoc eſt, affectus alii fiunt per ἰδιοπάθειαν, alii per συμπάθειαν, Vide Montanum infrà cap.26. Hæc tot,& fortè plura cum requirantur; Galenus verò modò hoc tantùm dicat, modò plura,pauciorave:quis propter inconſtantiam (ut interpretantur σκαιοὶ quidam) velit illum objurgare potius, quàm excuſare,ille poſſit. Mihi vel vultu aſpernari liceat,tàm illa, quæ Mont. colligit heic: quàm iſta , quæ cap.19. & 20. contrà I. Alexandrinum & Fuchſium. Eâdem licentiâ utar in conculcandis Valleriolæ, cap.21. 22. & 23. abſurditatibus. Multò enìm abſurdior ſim ipſe , ſi refutare tentem, quæ liberali conſideratione indigna ſunt.

§ 16. Cæterùm , quia occaſione hujus argumenti , natum eſt Capivaccio. (hunc enim Scherbius nominatim producebat.) dictatum illud , quod Mont. refutat in Ant-Eraſt. f.61. & ſeq. fas eſt de illo dicam tria verba. Inſultat ille Montano , quod dixerit , *Temperiem eſſe facultatem*. Cui ego confidenter in os :

Fecit

Fecit autoritate Galeni. At quo habitu ille? Non enim utar diverticulo, quo Montanus. *Si Philoſophico*, procul dubio vehementiſſimè erravit & dux, & comes. *Sin Medico*, excuſari debent & poſſunt. Profectò, quod Ariſtoteles non ſemel nos docuit, diſtinguere oportet ἐπιστήμην καὶ τρόπον ἐπιστήμης. Neque enim eadem eſt ratio ſcientiarum & artium. In ſcientiis oportet ubique locorum ſectari, quod ſubjectum vult: in artibus propter finem licet. (ita loquor.) digredi ab illâ regulâ, ſicubi fini, vel non obſtet, vel propiùs ad illum ducat. Ita in propoſito negotio. Temperies, nec *Facultas* eſt, nec *Anima*: tamen Medicus dicit utrumque. Cur? In reddendis actionum cauſis, adeoque in curatione ipsâ, præcipuè reſpicit temperiem, quia, ſervatâ temperie, ſervat animam. Hoc facit ad profligandum Epicuriſmum, qui & olim objectus fuit Galeno, & ſuperiori ſæculo à magno Cratone in epiſtolâ quâdam ad Donzellinum, Montano noſtro. Quin mihi quoque objectus fuit quondam atheiſmus â magno quodam ICto *in diſput. de Naturæ officio*, Profectò accidit talibus, quod apud Terentium hoſtibus Comici, *Næ faciunt intelligendo, ut nihil intelligant.*

§ 17. VIII. Ad hoc (cap. 24.) ſim-

plex eſt reſponſio, *Eſt ab errore externo.* Vide, ſi placet, Ant-Eraſt. f.23. a. ext. & iterum f. 78. b.

§ 18. IX. Symptomata (cap.25.) primò lædere actiones, eſt inter ea, quæ διαῤῥήδην negari debent. Sed & ſi obtineatur quid, Logicum eſt.

§ 19. X. Hoc ſequi debebat VII. quatenus Galenus aliquando non meminit morborum per συμπάθειαν. Ideò Montanus rectè inſcribit, Actiones non lædi ſine læſione partis, vel illius, quæ agit, vel alterius, tu puta, τῆς συμπαθούσης. Vbi fortaſſis addere licet παραμυθίαις ſuperioribus, *In ordine partium, ad unum aliquem effectum inſignem coeuntium, ſingulis καθ' ἐντελέχειαν agentibus, vel non fieri aliquid, vel malè, ſi una illarum non ſit in officio.* v.g. Effectus valdè operoſus eſt ſanguinis alendi confectio: quare ſi vel deſpectiſſima pars ceſpitet, ſanguis laudabilis non fit.

§ 20. In XI. (cap.27.) jure dubitat Montanus de ſequelâ. Rectè etiam reſpondet, Non diſtingui morbos ratione læſarum partium, ſed naturæ propriæ. v.g. hæc eſt inflammatio, hic eſt Organicus morbus. Hac de re videſis, Eraſtum, Anat. f.218. & Ant-Eraſtum. f.14. & a.

§ 21. Cur

§ 21. Cur Galenus (cap.28.)in definitione poſuerit unicum hoc ſymptoma, *Actionem læſam*,falſam,uti autumo,cauſam attulit Montanus, Quia actio læſa cum morbo ſimpliciter ἀντιστρέφει: cùm reliquis duobus ſymptomatis non item. Veram dedit Pacius, Com. in Meth. col. 274. quæque SCHERBIO etiam placebat, *Actione primùm & maximè indigemus, utpote in quâ ſanitas conſiſtit, etiam vulgi judicio, è quo Galenus deſumit.*

§ 22. Examen definitionis Argenterii & Fernelii, cap.30. & 31. non magnæ rei eſt: quin deſpicabilis eſt innovatio illa ingenio ad majora properanti. Scilicet.

Turpe eſt difficiles habere nugas,
Et ſtultus labor eſt ineptiarum.

CAPVT. III.

§ 1. Rectè Montanus cap.2. & 3. venatur triplex morborum genus ex triplici corporis noſtri conſtitutione. Vt enim *Sanitas* conſtat, ſi tria benè ſe habeant: ita *Morbus* adeſt,ſi unum, plurave ex illis è naturâ ſuâ abierit. Tria illa in Sanitate ſunt. I. Si partes omnes juſtum (quod ipſum naturale eſt) habeant temperamentum, per quod agere

 nata

nata eſt unaquæque illarum, quod ſuum eſt. II. Si eædem partes rectè ſint organiſatæ, ut ſic dicam, hoc eſt, ſi ſingulæ ſimilares, ad conſtitutionem diſſimilaris alicujus, ſeu organi concurrentes, & rectè conformatæ ſint, & nulla ex iis, vel deſit, vel ſuperſit, & nulla ſit major, minorve, & nulla ſitum ad vicinam partem alium habeat, quam habere ſecundùm naturam debet. III. Si eædem continuatæ & unitæ ſint eo modo, quo ſ. n. debent.

§ 2. Tria hæc vitiata faciunt I. *Intemperiem*, morbum ſimilarem dictum, cum partes non benè & ſecundum naturam temperatæ ſunt, ſed vel calidiores, vel frigidiores, &c. Hoc accidit duobus modis, aut ſine, aut cum materiâ. Sine materia dicitur *Intemperies nuda*: cum materiâ, *Intemperies cum materiâ ſeu affluxu ſubſtantiæ*.

§ 3. Tot numero Intemperies ſunt, quot ſunt *qualitates* primæ, eæque vel ſimplices vel compoſitæ. Illæ carent nomine: hæc ſunt *tumores p.n.* dicti. Simplices ſunt Calida, humida, frigida, ſicca: compoſitæ, calida & humida, frigida & humida, calida & ſicca, frigida & ſicca. Tumores p. n. totidem ſunt, ſed nominibus diſtincti. Sunt autem & hi vel ſimplices, vel compoſiti. Simplices ſunt, legitimi

timi etiam dicti, Inflammatio ex ſanguine: Eryſipelas ex bile: Oedema ex pituitâ: Scirrhus ex melancholiâ. Compoſiti ſeu ſpurii, Inflammatio eryſipelatodes, ex ſanguine quidem prævadente, bile autem ammiſtâ: Eryſipelas inflammatorium, ex bile ſuperabundante, ammiſto ſanguine. Et ſic de cæteris.

§ 4. Poſt Intemperies faciunt *Morbum organicum*, qui, ſecundum ſermonem jam habitum, quadruplex eſt. Aut enim in Conformatione eſt: aut in magnitudine: aut in numero: aut in ſitu. Rurſus, quia Conformatio conſiſtit in tribus, fiunt tres inde morbi, In figurâ: in cavitatibus ſtrictioribus vel arctioribus: in ſuperficie, vel aſperatâ, vel lævigatâ. Quamobrem morbus organicus jam ſextuplex eſt.

§ 5. Poſt hos omnes eſt *morbus communis* dictus, quem Galenus *Continui* vel *Vnitatis ſolutionem* vocat, & comprehendit Dolores, Vlcera, & Vulnera.

§ 6. De tribus his tria ſunt præcipua dubia. In *Intemperiebus*, An, quemadmodum Temperies facultas dicitur, cum ſecundùm naturam ſe habet, poſſit *Organiſatio* & *Vnio* pariter ita dici? Mont. ait, ego cum Eraſto nego. Si vis tempus perdere, abi ad Anat. f.85. & Ant-Eraſt. f.58.b.

f.58.b. In *morbis organicis*. (non minùs quàm in Intemperiebus.) nodus in ſcirpo quæritur, Annon potiùs Cauſæ ſint, quàm Morbi? Diſceptabitur illud l.4. c.28. hoc l.2.c.10. In Continui ſolutione quæritur, quâ ratione *Communis morbus* dicatur? Dico paucis, Cum dolor aliquis ſupervenit, ſive cum, ſive ſine materiâ, eſt Intemperies: cum vulnus infligitur parti alicui, aut ulcus eſt, eſt morbus Organicus: cum vulneri aut ulceri ſuccedit inflammatio, adeſt uterque morbus.

AD LIBRVM II.

De Intemperiebus, CAP. IV.

§ 1. VT docere poſſet Montanus naturam Intemperierum, ſeu morbum ſimiliarium, ſatis quidem altè orditur rem: veruntamen non ad guſtum meum. Egò hoc ſolum vellem docuiſſe illum, quod ego alibi. Apud Græcos, à quibus ferè pendemus, duo ſunt vocabula, *μῖξις καὶ κρᾶσις*, quorum illud *Corporum* eſt, de quibus águnt Phyſici, *de miſtione* inſcribentes: hoc *Qualitatum*, de quibus Medici, in lib. *de Temperamentis.* Hæc cum Montanus confundit, non ſatis explicare ſe poteſt ex multis. Hujus

criminis reus eſt Eraſtus quoque Anat. pag. 18. & 21.

§ 2. Quæ cap. 2. diſputat, reverà ſupra Medicum ſunt, vel ideò, quia in confuſione perſiſtit. Hinc adeò fit, ut cap. 3. quaſi ex improviſo arripiat *temperiem*, dicatque *qualitatem* eſſe. At ſi præmonuiſſet lectorem, de *Corporum miſtione* ſe non agere, attuliſſet rebus ſuis lucem. Ita autem ratiocinari debebat. Quoniam miſcentur inter ſe corpora non niſi illa, quæ contrariis qualitatibus prædita ſunt, ipſa quidem corpora, in tenuiſſimos vapores ſoluta, tota per tota coëunt: qualitates autem illorum invicem ſe refringunt, & accipit miſtum nomen ab eâ qualitate, quæ ſuperat. Illa eſt, ut pulcrè loquitur Eraſtus, Anat. pag. 28. cui ſe omnes aliæ, tanquam communi actui ſubjecerunt, quæque ſimul omnes in amicitiâ, mutuaque conſenſione detinet, Hinc pag. 31. rectè dicitur, Temperies eſt qualitas, diſtincta ab omnibus primis quatuor, licet in his, tanquam in ſubjecto, inſideat.

§ 3. Res declaratur exemplo. In pipere quia præponderant elementa calida, dicimus piper eſſe calidum. Hinc adeò rectè Avicenna & Alexander definierunt * *temperiem* per *qualitatem*. Sed quæ eſt illa? Quemadmodum in rerum Naturâ magna

Pulchrè hæc explicat Eraſt p. 19. & ſeq.

gna ejus varietas eſt, pro corporis cujuſque varietate : ita in corpore humano partes variant temperamento, prout hæc vel illa deſtinata eſt huic vel illi actioni. Quo habito, dico, quemadmodum ſanitas partis uniuſcujuſque conſiſtit in temperie illius nativâ, hoc eſt, in eâ qualitate, aut potius, in eo qualitatis gradu, qui parti illi ſ. n. eſt : ita morbus in intemperie fit, cum qualitas illa, ille qualitatis gradus vitiatur, hoc eſt, intenſior, vel remiſſior fit.

§ 4. Heic cum Fernelius, alter Davus Terentianus, turbet : Montanus, cap. 4. quidem diluit objectiones ipſius contra *qualitatem*; cap. 5. autem deſtruit *Harmoniam* & *concentum* ejuſdem. Si, inquit, ille, Temperamentum eſt quinta quædam qualitas, neceſſe eſt, reliquas quatuor evanuiſſe. Atqui videmus illas ſuperſtites eſſe : quin in ſummo gradu eſſe. Huic Montanus, quâ fronte affingis tu Avicennæ quintam quandam qualitatem, à reliquis diverſam ? Neutiquam diverſa eſt : ſed una ex quatuor illis, remiſſa quidem illa, & refracta, ita tamen, ut ſupra reliquas dominium habeat, ut ſic loquar. Et in quo Parnaſſo, ô Ferneli (vult dicere) ſomniaſti, ſi una ſuperat, reliquas propterea in auram diſſipatas eſſe ? Imò, ſuperſtites

tes ſunt, ſed victæ & repreſſæ ab unâ illâ, à qua res, de qua agitur, dicitur *qualis*. Si (addit novator) reliquæ non amplius adſunt, non erit ulla in corpore repugnantia. Si (ajunt pueri in ſchola) aſinus volat. Reſtant enim duæ cauſæ repugnantiarum, ſubjicit Montanus, *Naturalis* altera, altera *Præternaturalis*. Quo loco caſtigandus venit duplex Noſtri error. Primus, quod Calidum nativum facit cauſam interitus noſtri, cum Gal. l. de Maraſmo tam diligenter excuſet. Secundus, quod duas cauſas, 1. San. tu. 2. propoſitas, compingit in unam, quam tamen poſteà iterum diſpeſcit in duas. Si (addit amplius Iſte) evaneſcunt elementa, in diſſolutione miſti non poterunt redire ad ſua congenera. Nulla conſequentia, dicit Montanus. Ego verò rideo iterum hipotheſin tam ineptam! Et hæc de cap. 4.

§ 5. Cap. 5. Propoſitâ denuo ſententiâ gladiatoris noſtri, ait Montanus, Repugnare harmoniam & ſenſui & rationi, à nemine percipi, ne ab autore quidem ſuo. Quod num verè dictum ſit cum diſpicio, adeò reſilit animus à commemoratione reſponſionum, ut pudor hominis occupet faciem meam. Quò minus imperare mihi poſſum, ut referam; quin video conſulendum mihi eſſe oculis & auribus

bonorum, ne Camarinam hanc ſentiant.

§ 6. Loco igitur affaniarum illarum, proponam genuinè Philoſophantibus dapes has Peripateticas, quas in fronte codicis ſui (ita Veteres appellabant marginem) ſcripſerat SCHERBIVS, ὁ πάνυ. I. Diruit Fernelii ſententiam natura miſtionis, quæ eſt alteratorum. At alterari elementa non poſſunt, niſi remiſſione qualitatum. II. Elementa in miſtione aut agunt in ſe, aût non agunt. Si non agunt, non fit miſtio. Conditiones enim miſcibilium proponens Ariſtoteles, ait, *Miſcibilia neceſſariò eſſe inter ſe agentia & patientia, & propriè non miſceri, quæ non agunt invicem & patiuntur*, 2. Gen. & Corr. t.48. III. Si dicat Orator, Ariſtoteles eſt intelligendus de viribus, negabo. Loquitur enim de remiſſione qualitatum, & hoc vult, *Neutrum ſimpliciter, neque calidum, neque frigidum: ſed eſt calidum frigidum*, hoc eſt, calidum refrigeratum. Ita Zabarella in Phyſ. In miſto non ſunt calor & frigus, tanquam duæ diſtinctæ qualitates: ſed eſt una qualitas media, quæ aliquibus gradibus calorem refert, aliquibus frigus. Quo dato ſequitur, Vires eſſe poſterius quid, poſt remiſſionem, inquam, qualitatum. IV. Et quî non falſum ſit illud, Primas qualitates in

ſummo

ſummo manere : & tamen habere vires agendi remiſſas ? Hæc pugnant inter ſe,ſi habent vires remiſſas, oportet etiam ſecundum gradus ſint remiſſæ. Vide Ariſt. 4.Gen.3. ibi, Cauſa ut ſolvatur, debiliteturque actio, &c. V. Non nego, adeſſe illas proportiones: ſed cum vim agendi non habeant, non ſpectant etiam ad Medicum, qui conſiderat cauſas actionum. Hæc Doctor ibi: quem poſtea reperi fuſè omnia explicaſſe in Phyſiolog, qua de Temp. Verum ego non putavi operæ pretium me facturum, ſi huc transferrem. Si quis ita velit, adeat noſtrum l. 1. c.8. & iterum l.2. č. 12. & 15. nec non in Ant-Eraſt. f.77. & 78. Inveniet etiam Eraſtum volviſſe hoc ſaxum, Anat. f. 24. cui reſpondere voluit antagoniſta, Ant-Eraſt. f.11. & 13.

§ 7. Poſt hæc (cap. 6.) rectè quidem Montanus explicat, tam latitudinem temperamenti partium, inter ſe collatarum, quam ſanitatis: ego verò duo deſidero. Horum alterum eſt, quod non diſtinguit *Intemperies naturales*, ſeu *ſalubres*, 2. Temp.4. ext. & 3.Meth.9. quas curat ὁ ὑγιεινὸς: à non naturalibus,ſeu morboſis,quas ὁ θεραπευτής. Alterum,quod non docet, quæ ſit *Intemperies* illa *nuda?* An prorſus ſit, quod dicitur,ut vulgò credi-

 tur?

tur? an potius aliquando ſit cum materiâ tantillâ?non eo uſque,inquam,progreſsâ, ut *Tumor p.n. dici poßit*,ut ego deduco in Pathologicis? Vide illa c. 51. & 52. De latitudine ſanitatis quæ complectitur *ſtatum Neutrum* Herophili, legeris quædam ibid. c.10.

§ 8. His explicatis, debuit Montanus agere de ſingulis intemperiebus,tam ſimplicibus,quam compoſitis:& facit cap. 7. & 8. concludens, in univerſum 16. eſſe, excepto æquali. Quo loco cum inferret ſe Argenterii improbitas, volentis, Intemperies non eſſe morbos, ſed cauſas morborum : inſumit Montanus in eam rem tria cap.10. 11. & 12. Ego contentus ero unicâ SCHERBII reſponſione, Vt, dicebat, formam & materiam concipimus tanquam res diverſas, cum neutra ſeorſim ſine alterâ ſit : ita intemperiem calidam, & calorem febrilem pro diverſis habemus, cum ſint res eadem. Hoc dixeris de omnibus intemperiebus, tam ſimplicibus quam compoſitis. Vno verbo, *Intemperies ſunt ipſi morbi.*

§ 9. Porro in cap.12. eſt ſedes litis, An l. Gal. de Opt. ſectâ, ad Thraſyb. ſit genuinus ? Neganti Montano opponit ſe Eraſtus,Anat. p.73. cui reſpondet ille fuſe in Ant-Eraſt. f.38. Vbi obiter noto illud,

illud, Indicationem curandi non ſumi à cauſa, verum eſſe in Therapeuticis: ſumi omnino in Hygienis, ſeu in προφυλάξει, quod exemplo habitus athletici docui alibi. Vide ſis Eraſtum, Anat. p. 74.

§ 10. Numero Intemperierum ſedenario, & olim ſe opponebant quidam, & inter Recc. Averroës. 3. Coll. I. Illos quia refutavit Galenus. 1. Temp. 2. nolo ego actum agere. Hujus epicheremata, dicebat SCHERBIVS, quia volitant, & lucent ſubtilitate ſuâ, ut vitrum, non minus interim fragilia quam vitrum: nolim quenquam de illis ſolicitum eſſe, vel ideo, quia Logica ſunt.

§ 11. Contra utilis & jucunda eſt quæſtio, tractata cap. 16. An, & quatenus temperies calida & humida ſit laudabilis? Ipſe concludit, Tamdiu eſſe, adeoque eandem cum temperie æquali, quæ cæterarum canon eſt, quamdiu utraque qualitas moderata eſt: fieri morboſam, quamprimum mediocritatem amittunt. Hic duo deſidero I. Quod eſt ſignum moderationis hujus? Quamdiu non fætent, At verò cum hircorum more fætere incipiunt, putredo adeſt. II. Quando illa ſe oſtendit? Cum calor ſit humore inferior, nec dominari illi poteſt.

§ 12. Huic opponas inutilem & confragoſam

fragoſam diſputationem, An detur intemperies calida & frigida? an item ſicca & humida? Breviter, an per rerum naturam fieri poſſit, ut corpus, ſecundum partes eaſdem, contrariis qualitatibus laborare poſſit? Inſumit quidem Montanus, in ventilanda illa, ſeptem integra cap. 17, 18. 19. 20. 21. 22, 23. & rectè judicat, *Per rerum naturam fieri non poſſe.* Quod autem quidam dicunt, ægros in febribus lipyriis & epialis tale quid percepiſſe, luſorium eſt. Neque enim uno modo decipiuntur ægri, quod pluribus exemplis demonſtrari poterat. Sed & tactus eſt ſenſus confuſus, ut facilis ſit deceptio.

§ 13. In his cum conſenſum ſuum ſilentio faſſus eſſet Eraſtus: inventus tamen eſt Capivaccius (de indicio SHERBII) qui ſe oppoſuit. Hujus rationes affert, ſolideque refutat Montanus in Ant-Eraſt. f. 122. & ſeq.

§ 14. Nec quidquam prodeſt adverſariorum rebus, quod ex Gal. dicunt, viſcera quidem uri: extrema autem frigere. Hoc enim in controverſia non eſt, & fieri omnino poteſt, naturâ tantopere oppreſſa, ut calorem ad ſuperficiem pellere non poſſit. Quod autem Simonius contra Eraſtum de Putred. f. 62. ait, Qualitates repreſſas æque inter ſe pugnare, ac

ſummas,

ſummas, veritati conſonum non eſt. Confunditur enim res fiens cum facta. Dum res eſt in fieri, in motu ad terminum, dum πάθ☉ eſt, non negavero tale quid accidere poſſe. Cum res facta eſt, cum eſt in termino, nego & pernego. Si enim pugnâ ſupereſſet, res non eſſet, quod eſſe dicitur. Et quomodo duo contraria ita poſſunt imprimi uni ſubjecto, ut utrumque ſit activum? Vnum, qua unum, non agit in ſe. In totâ rerum natura diſtinctum eſt agens à patiente actu. Et quid? Ne in ſpeciebus quidem verum eſt, v.g. oculus non recipit album & nigrum, ſecundum eaſdem partes pupillæ. Hoc demonſtrat Valdanius l. de Miſt. f.64. Sed quo dilabor?

§ 15. Non minus laborioſum, ſpiniſque horridum eſt iter, quod Mont. ingreditur cap.24. & continuat uſque ad 32. de *Intemperie inæquali*, de qua habemus ſingularem Gal. librum. Hunc qui *Aureum* vocant, *Plumbeum* eſſe intelligent denique, ubi legerint cum judicio. Quin fatebuntur mecum, indigniſſimum Galeno fœtum eſſe. Qui ad Commentatores ſe convertere volent, Calanum, Fuchſium, Brachelium, Valleſium, Buſennium, Villanovanum, Agricolam, (hui tot! de re NIHILI!) verum fuiſſe

Noſtrum

Noſtrum dicent, cum ait, Ne titulum quidem libri eos intellexiſſe. Quid ſi audeam hanc audaciam, Nec Montanum habere, ubi tuto pedem figat? Sed ſint hæc protenus alba: ubi, quæſo vos, ô patroni nugarum, ubi hæc intemperies locum habet, vel in cognitione morborum, vel in curatione, vel in prædictione? Vide, ſi ad manus Pathologica noſtra, cap. 50.

§ 16. Quæ ſequuntur, uſque ad finem h. l. non minus ſpinoſa ſunt anterioribus, ut bene calceatum eſſe oporteat, qui velit ſe committere viæ. Sed hem ducem tibi! Primo omnium, quam Montanus dicam impingit Galeno de Tumoribus p.n. ex Avicennâ, originem habet ex ignorantiâ veteris inſtituti, quid illi vocarint intemperiem undam? illam, inquam, quæ è regione opponitur Intemperiei cum materia, cum affluxu ſubſtantiæ? Ego hic § 7. dixi aliquid: cui hoc addo, Intemperies nuda melius definiri non poteſt quam negando, Non eſt Inflammatio: non eſt Eryſipelas: non eſt Oedema: non eſt Scirrhus: non eſt compoſitorum tumorum aliquis: Ergo eſt Intemperies nuda. Hinc intelligetur, in utro ordine ſint febres? In poſteriori, dicunt omnes. Ego verò, In priori ſunt. Alioqui fruſtra erit diſtinctio inter febres primarias, quæ ſine

ſine inflammatione ſunt, & ſymptomaticas, quæ cum illa. Hanc rem deduxi in d. Pathologicis, cap.25. è quo nunc hoc tantum. Vinum dicitur, non acetum, etiam cum vappuit, ſed poteſt redire ad naturam ſuam. Plethora dicitur, non cacochymia, etiam cum aliqua ſanguinis corruptela eſt, ſed cum additione, bilioſa &c. Ita intemperies nuda eſt, quamdiu conſiſtit res in eo, ut nec Inflammatio, nec quidquam horum dici poſſit. In hanc rem videris loca Gal. quædam apud Mont. c.32.

§ 17. Huic vicina eſt alia quæſtio, quatenus differant, aut non differant Intemperies cum affluxu ſubſtantiæ à Tumoribus p. n? Paucis. Cum affluxus eſt modicus, eſt *Intemperies*; cum tantus eſt, ut magnitudine lædat, jam eſt *Tumor*, morbus, inquam, organicus in magnitudine. Ergòne magis & minus variant ſpeciem? Ita in artibus omnibus, In Medicina, quia mutat Indicationes.

§ 18. In utroque quantopere declinat Noſter! Quod ad prius, cum dicitur, In intemperie nuda eſſe materiam aliquam: reſponſat ille, Humor tum non eſt morbus, ſed cauſa, v.g. cum bilis influit ventriculo, & facit intemperiem calidam. Κενοφύγιον toti antiquitati incognitum! Sed

d & confuſio hic non eſt toleranda. Influxus bilis ex hepate eſt morbus Conformationis in viis laxioribus: hic influxus cauſatur alium morbum, Intemperiem. Vtamur igitur commodiori exemplo. Ventriculus refrigeratus, vel ab aëre, vel à potu frigido, tam actu, quam poteſtate, vel alio quocunque modo, gignit pituitam. Hæc pituita poteſtne dici cauſa Intemperiei frigidæ? Non puto, quia præfuit intemperies. Licet igitur pituita augeat intemperiem: cauſa tamen illius non fuit. Quid ergò dicemus heic de pituitâ? Nihil hæreo. Quemadmodum in Intemperie cum materiâ, materia illa eſt pars morbi, fundamentum quippe Relationis: ita in Intemperie nuda quoque. Ergo erit oppoſitum in adjecto? dicis. Nuditatem enim peſſundat materia. Ita veteres conſtituerunt: hoc utile eſt in arte. Tu ſi quid melius, quid utilius habes, profer, ut miremur ſapientiam tuam!

§ 19. Quod ad poſterius: Tumor, inquit Comes, qui non lædit magnitudine, non eſt morbus, ſed ſymptoma. Eja vero, mi Domine, quale ſymptoma eſt? In qualitatibus mutatis, ait, ex mente Turriſani, cap. 34. Quia addit, Gal. Diff. morb. 5. ſcribit corpus fieri aliquando durius, aliquando mollius, & ſic de cæteris. Hoc

figmen-

figmentum cum diſplicere cæpiſſet dicit, Mutatam eſſe qualitatem viſilem & tactilem. Hui tantumne? Ego enim dico. Cum adſit & relatio & fundamentum, cur Morbus non ſit? Et eſt, ſi proprie loqui velis, Intemperies cum materiâ, quæ tranſibit in Tumorem p. n. cum magnitudine lædet. Sed ſit hoc parùm: Symptoma, qua ſymptoma, nihil indicat. At hic eſt indicatio curativa.

§ 20. Agedum, inſpiciamus exempla quædam intemperierũ. De febribus interrogatus reſpondet cum diſtinctione. Hecticæ, inquit, ſunt nudæ: putridæ cum affluxu ſubſtantiæ. Dixi jam, Omnem febrim (primariam) eſſe intemperiem nudam: quia opponitur ſymptomaticæ, quæ eſt cum inflammatione aliqua.

§ 21. Paralyſin eſſe *Intemperiem* cum materia recte negat Avicenna: eſt enim intemperies nuda, propter rationem datam. Interim rectè etiam *Obſtructio* dicitur, ob ſerum meatibus nervorum ſe inſinuans. Hoc ſerum, quod pituitam aqueam vocare poſſis, non eſt cauſa, ſed pars morbi, cum diſtinctè loquimur.

§ 22. Locus Gal. in calce. 9. Meth. clarè oſtendit, Intemperiem nudam quandam, eſſe cum fluore quodam materiæ, quæ materia eſt de eſſentiâ morbi,

nullo

nullo autem modo cauſa,niſi nihil intereſt, quo modo loquamur,

§ 23. In oſtentandâ Gal. (ut vocat.) repugnantiâ, princ. cap.32. valdè ſudat, cum facilè, & ad meam mentem ſedetur illis verbis, *Hinc colligo, tumores interdum,* &c. quæ vide & conſidera.

§ 24. In difficultatibus duabus, quas reſtare ait, partim benè ſe gerit, partim male. Bene: cum in priori delet τὸ *Magnus*, quod eſt Diff. morb.5. Malè: cum ita colligit, ſi tumor eſt ſymptoma inflammationis, inflammatio ipſa erat ſymptomæ. Hoc enim planiſſimè ſequitur admiſſa diſtinctione, quam vult. Sed vocarit Gal. ipſam etiam inflammationem tumorem: quid inde? Non oportet ubique rigidam cenſuram adhibere.

§ 25. Explicatio loci. 2.x. τὸ τε. 1, grata quidem mihi eſt: ſed non video, quo modo ſenſus ille poſſit elici.

§ 26. In quatuor capp. fin. longa & intricata agitatur quæſtio, Materia affluens in his intemperiebus, eſtnè morbi pars (ita enim loquar potius) an cauſa? Et, ſi eſt cauſa, eſtnè efficiens, an materialis? eſtnè antecedens? conjuncta? continens? Nam omnia hæc invenerunt patronos. Reſpondeo directè. *Eſt morbi pars, eſt fundamentum relationis* illud, quod

cum

cum parte affectâ facit ἀμετρίαν illam, quæ morbus eſt. Hinc tria fiunt clara I. Efficientem nullo modo eſſe. Oportet enim ſeparare influxum materiæ, qui alius eſt morbus, ab intemperie, quam facit materia influens. I I. Quatenus ſit materialis Montani? Non ex quâ, ſed in quâ, ut ipſus ſe explicat. I I I. Continentem eſſe, & non eſſe. Hoc, ſi diſtinguere velis illam à morbo: illud ſi non diſtinguas. Revera enim cauſa illa continens, quatenus in morbo jam facto quæritur, nihil aliud eſt quam pars morbi, fundamentum morbi.

§ 27. Has tricas qui benè meditatus ſecum fuerit, non mirabitur, ſi Montanum c. 25. timidum fuiſſe repererit. Excuſari autem debere & illum, & me, ſi εἰκός tantum attulimus. Logica enim ſunt.

AD LIBRVM. III.

De morbis materiæ Fernelii, CAP. V.

§ 1. QVod vulgò dicitur, *ubi non ſunt lites, docti ſerunt lites,* non eſſe univerſaliter verum, vel hinc evincam. Præſumo autem, dici debere doctos, non omnes eos, qui pro doctis ſe gerunt:

gerunt: ſed eos tantum, qui recte inſtituti ſunt, quos vel ſimpliciter *πεπαιδευμένους*, vel cum adjectione, *νομίμως*, Gal. vocat. His qui opponuntur, *ὀψιμαθεῖς* dicebantur olim, *σκαιοὶ εἰσαγόμενοι*, quod alibi demonſtravi. Inter verè Philoſophos dum collocat Fuchſius Fernelium, profectò facit illi injuriam. Quod quia ante me, in hoc ipſo negotio, oſtenderunt ſummi viri, Montanus, Planerus, Eraſtus, Scherbius, Sonerus, alii: non eſt nunc opus aliis, quam ut compendio dicam, quæ inſtituti mei ratio poſtulat. Feci autem prolixius in Rejectaneis meis, Stoicorum imitatione ita dictis.

§ 2 Ringeris, ô adoleſcens, quod amaſium tuum tam audacter contrectem? Non fit ex ullo affectu: ſed quia VERITAS, cui ſacramentum dedi, ita vult. Atqui CRATO, tantus vir, longè aliter judicabat? Non nego ego Craton. meritiſſimo ſuo inter viros maximos cenſeri debere: ſed hac in re phaleriſmo aulico uſum fuiſſe ajo, dum præconem ſe præbet typographis, merces venales extrudere volentibus. Atqui ſtilus etiam egregius eſt, quique non dedecet diſcentem. Stylus Plantii eſt, quod è Gallis ſe habere SCHERBIUS affirmabat. Sed ſit cujuſcunque: Non debet

lingua

lingua Latina diſci ex Fernelio. Quin volumus ſtudioſos tales, qui jam ſatis verſati ſunt in utraque linguâ. Accedit incommodum illud, quod Fernelius, deſertâ Philoſophiâ Peripateticâ, applicuit ſe Stoicæ, quod intolerabile eſt. Sed hæc obiter:

§ 3. In refutatione argumentorum utar filo Ariadnes, à Montano noſtro tenſo. I. ait in enumeratione qualitatum peccatum fuiſſe in eo, quod allatis primis tantum, ſecundæ & tertiæ inſuper habitæ ſint. Hæ ſunt mollities & durities, raritas & denſitas &c. quę cum pendeant à conditionibus materiæ, vocat defectus illarum *Morbos materiæ*. Huic Mont. cap. 3. ex Ariſt. 2. Gener. & corrupt. 13. & Gal. 5. Simpl. 4. oſtendit, quot modis fiat unumquodque ſeipſo mollius aut durius? Et infert. Non fieri ab uno ſolo morbo, ſed pluribus. Deinde ait, Mollitiem & duritiem eſſe qualitates ſecundas, quæ pendent ab intemperie primarum. Has Gal. 3. Cauſ. ſym. ult. expreſſe vocat ſymptomata mutatarum qualitatum tactilium, quæ pendent ab intemperie modò hac, modo illâ.

§ 4. Hujus generis vult eſſe *Laxitatem* & *Adſtrictionem*, cap. 4. Reſpondet Montanus, ſunt morbi *Conformationis*, &

 perti-

pertinent ad vias ſtrictiores, laxioreſve. Ego vero non ſum credulus illi. Sunt morbi in modo ſubſtantiæ,ut Valleſ. vocat, & hac ratione commodius reducuntur ad Temperies primarum qualitatum.

§ 5. Idem volo dictum de *Raro* & *Denſo*,licet Mont. etiam ad *Conformationis* vitia referat.Idem prorſus de *Tenui* & *Craſſo*, licet ille ad morbos *Magnitudinis* relatum velit.

§ 6. De ſenſu acri,cap.5.quærit Mont. à Fern. & Argent.quei fieri id poſſit, cum ſenſus acrimonia ſit res quædam naturalis? Ita hebetudo ſenſus eſt talis diſpoſitio, quæ facit, quo minus quis facile percellatur,3. Cauſ. ſym. ext. item. 2.ejuſd. 5. Ego verò ulterius quid deſidero, quid eſt illud, quod facit,ut facilè quis ſingultiat? facile cardialgia laboret? facile vomat? Contrà,ut contrà? Mihi perſuaſum eſt, eſſe ab eodem ſubſtantiæ modo Valleſii.Interim ſæpè fit ratione ingeſtorum, ut ſi quis piperis pulverem copioſius ſumat, ſingultit. Ad auditus ſenſorium quod pertinet,non credo ego, ſibilos ullos fieri ob acrimoniam organi,quamvis Gal. dicat: quin ſibili omnes ſunt à frigiditate, quatenus ſc. ex materia frigida flatus exſiſtunt. Ad viſum ſi quis diverti volet,

volet, dicam, Impoſſibile eſſe, aliquem nimis acutè videre. Quod ad ſymptomata ſuffuſioni ſimilia, incidunt illa affecto ventriculo, oculis illæſis.

§ 7. Intricatum hoc quidem eſt problema: ſed multo intricatius, quod cap. 6. & 7. ventilatur, quei fiat, quod in Ictericis quibuſdam, reddito toti corpori colore naturali, non poſſit reddi ille Corneæ? Fit id autem modo in tota Cornea, & videntur omnia eſſe flava: modo in poſtica parte tantum, qua *Sclerotica* dicitur barbaris, & nihil obeſt viſioni, inter quos ego ſum. Montanus quidem firmat ſe in Obſtructione meatus fellei ad Duodenum, ſymptomata dicens ſe ipſa excipere. Sed revera, morbus eſt nimis longe diſſitus. Dic mihi quid facit Corneam flaveſcere? I. Alexandrinus heic quoque ad *Obſtructionem* confugit, ſed alio modo, cum dicit, Vaſa corneæ obſtrui, & impediri ſeu potius depravari nutritionem. Verum Argenterius rectè illi objicit, Fore hac ratione, ut pars ſimilaris laboret morbo organico. Propterea ſto ego in veſtigio, Eſt morbus ſimilaris, quatenus temperamentum corneæ eſt cum hoc modo ſubſtantiæ. Cornea fit tam craſſa, ob admiſtam ſanguini bilem, ut ſpeciebus viſibilibus tranſitus negetur. Hac ra-

tione reſpondero etiam ad ὑπόσφαγμα, in quo obſtructionem locum habere ne ipſi quidem dicent, puto. Cornea recipit in ſe ſanguinem inalteratum, à quo vitiatur modus ſubſtantiæ ipſius.

§ 6. Poſt hæc (cap. 8.) inſtituit Montanus novam argumentorum Fernelii aciem, & orditur ab eo, quod palmarium putant iſti, Conſtat pars quælibet, inquit, præterquam Temperamento, & Materia & Forma ideò, præter morbos temperamenti, erunt quoque morbi materiæ & formæ. Hoc Fuchſius pro nectare Philoſophico habet; cum ſit ἀφιλοσοφώτατον. Formabo ſyllogiſmum, ut pueri quoque rideant ſophiſticam. *Ex quot rebus conſtat quælibet pars agens, tot læſionibus & morbis erit obnoxia. At verò conſtat ex tribus, temperamento, materia & forma, Ergo.* Heic major eſt falſiſſima, quod dupliciter oſtendo. I. Vulneretur aliquis in manu, v. g. Ibi eſt cutis, caro, vaſa, ligamenta, muſculi, oſſa, cartilagines, octo in univerſum partes, Ergo octo erunt morbi, & octo læſiones. Quod qui dicet, meritò ſubſannabitur, quod neſciat τρόπον ἐπιστήμης in arte noſtra. II. Eamus vero ad Inſtit. Phyſicas, quæ docent, Actiones eſſe compoſitorum, non componentium. Totum enim, ex tot partibus factum, agit,

git,non (omittam enim partes ſimilares) temperamentum, non materia, non forma. Tu quidem cogitatione ſeparas: at in rei naturâ non eſt ita. Quo modo enim materia informis (ſeparas enim) actionem habere poteſt? Quo modo, ſua natura ἔνυλος, *in materiam immerſa*, agit ſine ſua materia? Sed & abſque hoc, Forma, quæ non habet contrarium, quei dici poteſt agere? Materia, ſeparatim accepta, non eſt ens in actu; forma, ſeparatim accepta, non eſt ens in actu; ideò neutra ſola agit quidquam. Totum hoc (ut repetam) ex materia & forma conſtitutum, agit. Ergò toti huic, non partibus ejus ſingulis debetur læſiò actionis, adeoque eſt unus tantum morbus. Et hoc primum eſt acumen generoſi Fernelii.

§ 9. Accipe hoc alterum quoque. Temperamentum inquit, conſtat ex qualitatibus elementorum, & eſt in genere accidentium. Materia verò ei ſubſternitur, & ab hac materia habet pars, ut ſit laxa &c. Miror & demiror, ſi unquam intellexit ſeipſum! Falſum eſt, materiam ſubſterni temperamento! Non enim eſt ens in actu, ideoque nihil ei accidit, nec poteſt recipere temperamentum, quia qualitas eſt. Propterea manifeſta eſt repu-

gnantia. Si enim temperamento ſubjicitur materia, quomodo temperamentum eſt accidens? Quod enim informat, non eſt accidens, ſed forma ſubſtantialis. Ergone temperamentum eſt forma ſubſtantialis? Hui Philoſophum!

§ 10. Accipe vero tertium quoque. In generatione ſimilarium, non tantum contemperantur qualitates Elementorum, quæ eſt temperamenti origo: ſed & corpora illorum miſcentur, quorum corporum quidni ſint peculiares morbi? Incerta deductio, ut leniſſimè dicam. Reſpicit quidem diſcrimen inter *μίξιν ϗ κρᾶσιν*, ſupra propoſitum; ſed non efficit, quod vult. In generatione enim corpus aliquod fit tale, non tantum ratione materiæ ſubjectæ, ſed & ratione qualitatum agentium. Quare, prout ſuperat hæc vel illa qualitas, corpus fit tale, vel tale.

§ 11. Eadem reſponſio debetur objectioni illi, quæ cap. 9. eſt. Differre, inquit, materiam à temperamento, oſtendit illud, quod partes quædam conveniant temperamento, differant materia: & contra. Dico, Non pendet res à ſola materia, ſed & à qualitatibus.

§ 12. Atqui experientia probat hos morbos? cap. 10. Corpora enim probè temperata, propter raritatem, mollitiemque

que facilè patent externis injuriis : contra, corpora denſa & dura. Negatur, corpus temperatum eſſe rarum & molle: quin caret omni exceſſu. Si quod igitur corpus, vel rarum eſt, vel molle, vel denſum & durum : hoc jam intemperatum eſt. Sed eſto, ne pugnemus. Concedatur, inquam, corpus aliquod non ferre injurias externas, propter raritatem & mollitiem, & laboret jam morbo : quis erit ille? Certè non alius ab illo, quem vel calor, vel frigus induxit. Et quid? Denſitas & raritas cutis ſuntnè morbi? Imò verò, diſpoſitio illa, quæ vel à calore, vel à frigore introducta eſt, illa eſt morbus. Præterea, cum ſint qualitates ſecundæ, quarum nulla eſt vis agendi, quei poſſunt facere morbos? Præterea, proclivitas illa in morbos, & viciſſim reſiſtentia illa, ſæpe ſunt à genere vitæ, ab aliis. Ruſticus plus ferre poteſt quam umbratilis aliquis. Iuvenis plus quam ſenex, Mas quam fæmina, Tu puta, cæteris paribus. Sed age, quid facit corpus rarum & molle? Nunquid, quod ſpongiam? Quid denſum & durum? Nunquid quod lignum? Vnde ſtatim apparet, quam latè inutilia ſint talia! Vis corpus denſum rarefacere : calefac. Vis rarum denſare : refrigera. Hæc parant indicationes, & dedu-

cunt nos ad methodum medendi : illa?

§ 13. Interim Gal. ipſe accipit ab his indicationes? cap. 11. In affectis enim viſceribus utitur adſtringentibus; remotis laxantibus. Quæro ego cum Montano, quæ ſunt illa adſtringentia? Certè, frigida & ſicca. Contrà, quæ ſunt illa laxantia, quæ removet? Certè, calida & humida. Quod porrò de abſumtione ſpirituum, de aliis allinitur ex, 12. Meth. 5. tam eſt εὔηθες, ut pudeat me dicere verbum.

§ 14. Superſunt duo alia argumenta ex Meth. cap, 12. Hauſtus olei tepentis laxat ventriculum. Reſp. Oleum humectat: humectationem ſequitur laxitas. Et ita à ſecundis qualitatibus venitur ad primas, quæ ſolæ vim habent agendi & mutandi. Eadem reſponſio debetur alteri. Si quid ſit rarum, oportet denſare. v. g. ſi quis ſudoribus diffluat, præ raritate cutis. Breviter, præſtant hæc frigida & ſicca. 5. Simp. 1. & proæ. 10.

De morbis Forma CAP. VI.

§ 1. HEi cab initio miror, dari his morbis tot nomina! Vocat enim hos Fernelius *Inſitum ſpiritum, Divinũ ejus calorem, Facultates, Subſtantiam, Totam ſubſtantiam, Formam,* cujus *Corruptela* ſint.

Voluit,

Voluit, credo, homo prepoſterus Peripateticum ſe oſtendere, & prioribus vocibus duabus exponere τὸ καλούμενον θερμὸν Ariſt. 2. Gen. 3. quod Philoſophus ait eſſe in ſemine, & proportione reſpondere Elemento ſtellarum. Verum fallitur apertè 1. quod ſpiritum à Gaza ſubminiſtratum temerè acceptat, adeoque eſſe ἰσοδυναμοῦντα τὸ θερμὸν, καὶ τὸ πνεῦμα: ſed huic loco affingere fas non eſt. II. quod Inſitum appellat, ſed nôn explicat ſe, de utro loquatur, ἐμφύτῳ, qui formalis eſt? συμφύτῳ, qui materialis? III. Sed & ubi ſe explicarit, ſcio fore illum transfugam in caſtra Stoicorum. Divinum enim illum calorem (cœleſtem, inquam, non elementarem) quem quærit, in περιπάτῳ non inveniet. Ne dubites, ἀνάλογον τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ appellat. Atqui quod analogum eſt alicui rei, non eſt res ipſa. Quo nomine irridet alicubi Stoicos Valleſius, *Mittamus*, inquit, *illos: quia omnia apud ipſos divina ſunt*! Hoc verò dicit ideò, quia Stoici omnibus ſublunaribus ammiſcebant aliquid divinæ ſubſtantiæ, ut alibi deduxi. IV. Dum confundit ſubſtantiam cum *Facultatibus* apparet ingenii ſolertia! Vna enim Anima habet diverſas Facultates. V. Sed cur *ſubſtantiam*, *Eſſentiam*, *Speciem* abſolutè vocat?

 An

An quia forma eſt Subſtantia? Egregiè!

VI Cur deinde *Totam ſubſtantiam*? Si *Formam* ſuam voluit eſſe id, quod Gal. vult, toto cœlo errat. Et quei *Forma* dicatur *Tota ſubſtantia*? Si enim hoc vellet, poſſim illi aures tribuere, quemadmodum etiam, ſi per *Formam* intelligeret *Temperamentum*, ut alibi ſcripſi. Quidquid ſit de his omnibus: hæc rerum & nominum, in ipſo veſtibulo, miſerrima confuſio, cui non ſuſpectum reddat totum negotium?

§ 2. Sed eamus cominus, & videamus, quomodo proponatur fabula, c. 13. *Si morbi eſt actiones lædere, Actiones autem à forma pendent, quidni læſa forma lædantur actiones?* Struthiocamelus v. g. qua vi coquit ferrum? Non vi materiæ; non inſito temperamento; non elementorum calore: ſed formâ. Ne longè abeam, Partes corporis noſtri, dicunt, quomodo alimentum trahunt, retinent, coquunt, excrementa pellunt? Non certè temperamento, non calore elementari: ſed formâ, ſpecie, eſſentiâ. In hanc ſententiam inducere volunt Galen. 2. ad Glauc. 2. V. Quin audent dicere, ut nuper admodum innui, Totam ſubſtantiam Gal. eſſe eandem cum formâ hac Fernelianâ, Nec ſatis eſt hoc: accuſant Gal.

quod

quod in Meth. omiſerit curationem eorum morborum, qui ſunt à *Tota ſubſtantia*. Hac in re jungit ſe Fernelio Argenterius.

§ 3. Quid heic Montanus? Fuchſium quidem ille cap. 14. apprehendit: ſed non eſt res magnæ rei. Mihi libet ſtatim in arcem cauſæ invadere, & genuinis Gal. amicis oſtendere, quà ſit eundum. Qui ajunt, Galenum in ſuis Phyſicis non agnoviſſe formam aliam, quam temperamentum: partim bene loquuntur, partim malè. Vt ordiar à poſteriori, quis unquam adſtrinxit Gal. ad Phyſicam? Non profitetur ille ſcientiam, ſed artem, in quâ πρόσω ἐπιστήμης multa permittit, quæ in Phyſicis falſa ſunt, v.g. temperamentum eſſe formam, eſſe animam, ut ſupra deduxi. Hoc temperamentum cum duplex eſſe ajunt, rectè ajunt, ſi rectè ſe explicent, Ita enim ſe res habet, Temperamentum eſt duplex, proprium & commune. Proprium eſt, quod ſingulæ partes nactæ ſunt: commune quod à corde illis affluit. Vtrumque niſi bene habeat, actio nulla fit. Rurſus, proprium iterum duplex eſt, & conſiſtit alterum in manifeſtis qualitatibus, ſub quo ſunt ſedecim illa temperamenta intemperata, de quibus in ſup. alterum in Totâ ſubſtantiâ, ut loqui Gal.

ſolet, â qua, non à caliditate, non à frigiditate, non ab ulla harum, editur actio. Iam igitur, ut certiſſimum eſt, Galenum ſuperſtruxiſſe methodum ſuam ſolis qualitatibus manifeſtis: ita mancus dici neutiquam debet, ſi omiſit Totam ſubſtantiam. Cur? Quia methodus ejus nulla eſt, inquit diſertè 13. Meth. 6. penè extr. Qua igitur fronte ſcribere jubes illum methodum earum rerum, quarum Methodus non eſt? Et cur non eſt? Quia non cognoſcuntur remedia ratione, non devenimus ad ea per indicationem: ſed experientiâ. Quamobrem ſi concedis morbos ſubſtantiæ eſſe eos, quos Gal. deſcribit, non ſunt commentum; ſed reverà ſunt morbi tales, qui, & ortum ſuum habent à cauſis, tota ſubſtantia agentibus; & curantur alexiteriis, per experientiam cognitis.

§ 4. Hactenus ergò malè, & indiſtinctè locuti ſunt illi: benè loquuntur, cum in Temperamento ſubſiſtunt, nec ulterius aſcendunt, ad formam, inquam, Phyſicam, quæ Anima eſt. Interim peſſundant totum id, quod declarant, cum diverſos à temperamento morbos quærunt, in quibus corrumpatur forma, ut loquuntur.

§ 5. Quâ in re quanta ſit abſurditas juxta & falſitas, audite quæſo, quicunque

que *μισόσοφοι καὶ ἀπειρόκαλοι* non eſtis: Corrumpi formam, ajunt. Si corrumpitur, habet contrarium, & propriè dictum contrarium. Atqui ſubſtantiæ nihil contrarium eſt, apud omnes ſanos Philoſophos. Hoc Montanus ita inducit, cap. 15. Corruptela formæ, quam iſti ſomniant, aut fit, aut jam facta eſt: ſi ita vis, aut eſt in motu ad terminum, aut jam eſt in termino. Si poſterius hoc ſit, jam res eſt exſuta ſua forma, jam cadaver eſt, quod morbo amplius non laborat. Si prius illud, ne locum quidem habet objectio. Hoc explico amplius,

§ 6. Vt in generatione ſubſtantiali diſtinguere oportet alterationes prævias formæ ab ipſa forma: ita in corruptione. v. g. dum pullus in ovo fit, totis illis 24. diebus ſemper fit aliquid, hodie adeſt hæc pars, cras alia, poſtridie alia, uſque dum rete illud ſit integrum, ut Orpheus comparabat generationem, neque unquam tamen pullus dicitur, niſi *ἐν τῷ νῦν* illo, in quo teſtam roſtro pertundit. Sic in homine corruptelæ dici non poſſunt morboſæ illæ diſpoſitiones, quæ formam (temperamentum) labefactant: ſed alterationes ad corruptelam tendentes. At verò ſi eò deventum, ut pars laboret ſphacelo, jam indicatio oritur, Vre. ſeca.

Eadem eſt ratio totius. Poſtquam enim cadaver heic iacet, quod eſt, cum forma periit: inutilis eſt omnis cura. Et hoc eſt illud in vulgus παράδοξον, quod profiteor, *Quamdiu vita supereſt, tam diu ſanitatis aliquid eſt*. Secus enim ſi ſit, nemo ex morbo convaleſceret.

§ 7. Atqui, inquit Fern. ſi concedis, quædam in corpore agere tota ſubſtantia, quei negare audes, inducere morbum totius ſubſtantiæ? Effectus enim redolet cauſam. Primum delictum hic eſt, quod, ceu dixi, formam ſuam putant eſſe eandem cum tota ſubſtantia Gal. Alterum eſt, quod, neglecta experientia, Andabatarum more feriunt. Dantur agentia à tota ſubſtantia: ſed cauſæ ſunt, non morbi. Deinde, morbi ipſi non ſubito alii ſunt, & à cognitis diverſi: ſed ſunt ii ipſi, quos novimus. v. g. Contagium phthiſicum agit quidem tota ſubſtantia: ſed facit ulcus, morbum notum. Contagium peſtilens, quid facit? Febrim bubonariam, dyſenteriam, &c. Ita Cantharides quid faciunt? Exulcerant renes. Et ſic de cæteris. Atqui eſt tranſſubſtantiatio, ut cum barbaris loquar? Nego. Cum ventriculus Socratis ſenis non coquit, quæ coquebat Socratis juvenis, eſtne tranſſubſtantiatio? eſtne corruptio formæ?

Minimè

Minimè gentium. Calor, proximum inſtrumentum, eſt debilior. Ita, cum oculus meus, qui ſeptuagenarius ſum, non videt, quæ videbat cum vicenarius eſſem, eſtne transſubſtantiatio? Summa, Nugæ nugarum! Interim quia ſemel hoc conſilii occæpi, ſequor ἑκὼν, ἀέκοντί γε θύμῳ.

§ 8. Ergo Mont. cap.16. triplicem conficit rationem, & diſtincte reſpondet. I. Vt unum quodque tria requirit ad actionem, materiam ſuam, formam ſuam, temperamentum: ita uno horum læſo fit morbus. Ideo triplex fit ordo morborum ſimilarium. Hei mihi, hoccine philoſophari eſt? ſubruere fundamenta omnium ſcientiarum & artium? Ita Paracelſiſtæ, cum Hermeta ſuum in ſcenam protraxerunt, & ſciunt parare duo paria oleorum, quatuor ſalium, quinque magiſteriorum, &c. jam ſunt Philoſophi reales. Sed ad rem. Cùm materia cum ſua forma conſtituat unum Τόδε τι, ſic temperatum, quod demum agit: quid tu mihi ſeorſim collocas ſingula? Et, ſupra dixi quod Materia ſola quei poteſt agere, cum actu non ſit? Forma ſola quei, cum contrarium non habeat? Vere contrarium, dico iterum. Nam privatio alio tendit. Et hoc quidē principium

Phyſi-

Phyſicum eſt, quod iſti ſubruunt: rurſus.

§ 9. Cum tropus ἐπιςήμης in arte noſtrâ jubeat, ut temperamento tribuamus, quod formæ eſt: cur tu alio is? Nimirum, à temperamento ſumimus indicationes tam curativas, quam præſervativas. Hoc enim ſtante ut ſanitas eſt: ita hoc alterato, morbus. Hoc eſt fundamentum methodi medendi, quo concuſſo, quid erit nobis reliquum. Hinc adeò Gal. in Arte, (ſiquidem illam quoque in partem vocare debeo) in Meth. med. in omnibus ſcriptis ſuis vocat nos ad ſolum temperamentum, relictâ formâ. Nec fruſtra fuêre hactenus, qui ſecuti ſunt inoffenſo pede. Habuerunt enim ſecum adamantinum Hipp. argumentum, δηλοῖ δ' ἡ ἴησις. Salvum igitur nobis ſit temperamentum, quæ nobis forma eſt, quæ anima.

§ 10. II. Actiones omnes, dicunt, ſunt à certa forma, quæ agit heic tantum, heic etiam tantum agit hoc. v. g. Struthiocamelus coquit ferrum, capra ſalices amaras, bos fænum, gallina muſcas & araneas, pavo & ciconia ſerpentes, & ſic de cæteris omnibus. Reſpondeo, Struthiocamelus, non minus quam magnes, eſt

* *Geſn. 3. Hiſt. anim. c. proprio, Aldrovandus l. Ornitho. 9. c. 2. Iordanus contra Ioub. 7. Decade 2. negant.*

eſt crux Philoſophorum. Sed ſit ita: Omnia fiunt à certo temperamento, quod in hac animalis ſpecie tantum eſt, non in ullâ aliâ, & propterea nec ſcribi, nec dici poteſt. Hujus rei alia tibi ſubminiſtro exempla. Faciat fuſor orichalceus viginti campanulas ex eadem materia, eodem tempore, ad eundem ignem, in eodem typo: nulla tamen habebit eum prorſus ſonitum, quem altera illarum. Nec diſcedam longius, ſint ſimul in eadem menſa 20 homines, ejuſdem ſexus, ætatis, conditionis, roboris, etſi quæ alia dari poſſunt: inſpice ſingulorum palata, conſidera conformationem, non reperies ovum ovo ſimilius, quam iſti inter ſe: tamen ſinguli habent diverſam vocem. Hinc ita infero, ſi in ſimilibus tanta eſt diſſimilitudo effectus: quanto magis in diſſimilibus erit? Videmus id fieri, quamvis dicere non poſſimus unde fit. Atque huc pervenire poteſt animus humanus: at qui in ſublime ſubvolant, & formas ſpecificas crepant, neceſſe eſt falli. Cur? Nuſpiam exponunt ſe, & ſunt perpetuo in numero eorum, qui nihil docent. Quo ſapientius fecerimus nos, ſi intra poſitos à Gal. limites ſteterimus! Fit hoc à temperamento, quod ulterius verbis ornare non poſſum. Et hæc eſt ἰδιοσυγκρισία illa,

de

de qua idem Gal. ait, ſi poſſem in ſingulis individuis aſſequi illam, talem fore me exiſtimarem, qualem Æſculapium mente concipio.

§ 11. III. Denique recurrunt ad aſylum curationis. In hac, inquiunt, utimur aliquando iis, quæ agunt manifeſtis qualitatibus, aliquando alexipharmacis. Et certum eſt ex ſup. Galenum hæc diſtinxiſſe. Ne longius excurram cum Mont. Egregia hæc eſt agendi ratio, Gal. diſtinxit, ergo ad formam, à temperamento diverſam, ivit. Actionem temperamenti fecit duplicem, ceu oſtenſum eſt § 3. non propterea tecum in cœlum aſcendit, & ibi perquiſivit occultas proprietates; quin diſtinxit manifeſtas qualitates à modo ſubſtantiæ. Scilicet, hoc agit piper, hoc agit arſenicum, licet eodem fere gradu calidum ſit utrumque. Hic modus comprehendit ſub ſe qualitates omnes, tam primas, quam ſecundas & tertias, facitque, ut aliquid cito actuetur, aliquid tarde, aliquid in momento, aliquid in veſica demũ, & ſic porro. Summa ſummarum, Gal. in Meth. adſtrinxit (quod ad morbos ſimilares) nos ad ſolum temperamentum, à quo indicationes petit. Quare, qui ad occulta & cœleſtia properant, evertunt Methodum.

Exem-

Exempla morborum formalium.

CAPVT VII.

§ 1. NOrat Fernelius, abſque exemplis nihil rite adſtrui poſſe, Propterea accingit ſe operi quidem: verum tam frigide ſtat, ut præſtiterit ſiluiſſe. Et quia ſequor Montanum, quid cap. 17. initio frigidius dici poſſit, quam morbos occultos ſubdividi in manifeſtos & occultos? Nec locus eſt tergiverſationi, ſi quis vel verba ipſius authoris intueatur, vel paraphraſin Montani. Non minus frigidum eſt, Morbos iſtos novos eſſe ex cauſis directò ſibi oppoſitis, cum & ſine putredine, eaq; vel ſimplici, vel profunda.

§ 2. Poſt ulcera, cap. 18. ſunt morbi formales ex Putredine. Vbi ſi quæras, Cum putreſcere poſſint partes tres Hippocrati dictæ, de quibus loquatur? De omnibus, dicet tibi Mont. adducto loco ex l. de Abd. Cui aſſertioni quia objici poterat, Intemperies indigent ſimplici alteratione, ad putredines miſtam ἀγωγὴν ex alteratione & vacuatione, Dicam primo loco, Putredines iſtas non eſſe morbos: ſed cauſas. Secundo, Reducitur pſeudophiloſophema illud, in quo confunduntur motus prævii ad terminum

cum

cum termino ipſo. De quo termino ſi loqui volet ille, dicetur illi, ut ſupra, Iam non amplius eſt morbus: quia cadaver eſt. Inflammetur v.g. digitus, & eò res deveniat, ut metus ſit gangrænæ. Hanc quamdiu avertere potes, ſimplex eſt alteratio: cum invaluit, abſcinde. Quid hic novi morbi eſt? Imo eſt, inquit; alterationes enim illæ tandem corrumpunt formam. Miror admodum non tacuiſſe! Hac ratione omnes morbi lethales erunt morbi formales, neque opus erit catalogo peculiari. Nos loquimur de putredine, quæ eſt in fieri, quæ eſt cum additione hac: non autem de putredine ſimpliciter, quæ aliena eſt à noſtro inſtituto. Objicias, Fernelium voluiſſe, non putredines eſſe morbos formæ, ſed morbos à putredine ortos. Hoc modo funditus ille perierit, ut præmonui. Cauſam enim eſſe concedet. Nec quidquam valet, Putredo eſt diſtincta ab Intemperie, ergò diſtinctum facit morbum. Hoc apud Fuchſium eſt Philoſophari; apud Montanum & me eſt ineptire. Tamen Mont. refutat, cui laudem inde quæſitam non invideo.

§ 4. Poſt putredinem, cap. 19. *Phthiſis* eſt, ni tu mavis, Pththoë. Heic eruditè Montanus, Phthiſis non eſt morbus, ſed conflues morborum. Eſt enim *ἀτροφία*, quæ

quæ eſt morbus magnitudinis. Eſt febris hectica, quæ ad intemperies pertinet. Eſt ulcus pulmonis, quod eſt continui ſolutio. Reliquum ergò eſt, ut putredo pulmonis ſit formale illud. Atqui jam demonſtratum eſt, putredinem non eſſe morbum. Tu accipe eo modo, quo dixi.

§ 5. Poſt phthiſin, cap. 20. ſunt putredines, non viſcerum tantum inferioris ventris, ſed & extimarum partium. Vt res exemplo inclareſcat. Affluat ad hepar putrida (v.g.) bilis, quæ ita tabefaciat parenchyma ipſius, ut diffluat: hunc morbum ait ille eſſe incognitum, ideoque formæ. Credin' tu? Mihi cognitiſſimus eſt. Tibi ſi ridere placet (mihi enim hoc rerum ſtatu non libet) vide per otium, quomodo Montanus conficiat hominem propriis ſagittis! Nimirum, hoc eſt Adraſteas imperium, de quo ſæpe dico.

§ 6. Heic dum cap. 21. intueor *Innati ſpiritus diſſolutionem*, incipio meditari mecum. Quo modo diſſolutio hæc cohæreat cum morbis jam numeratis? Qui enim vult novum genus conſtituere, & in digitos ponere ſpecies, ille debet ante omnia docere, quod ſit commune illud, quod in ſpecies omnes ſe extendit? Id vero nullibi eſt, adeòque funis eſt ex arena

arena contextus. Sed non vocetur hoc in conſiderationem:

§ 7. Quærit Montanus, O Ferneli, quem ſpiritum intelligis? Influentem, an Inſitum? Illum non potes: habes enim inter Contenta, in quæ ſola cauſa cadit, non Morbus. Ergo illum debes intelligere. Is vero cum cœleſtis tibi ſit, nihilque aliud quam Cauſa continens Stoicorum, quam neque Gal. agnoſcit, neque ipſa rerum natura; quid dices? Imo vero, regerit, Gal. acceptat 12. Meth. 5. & alibi. Heic fatendum eſt, Montanum in multis eſſe ambagioſum. Modo enim à morbo ad cauſam deerrat, modo ad ſymptoma in excretis, modo aliò. Ego ſimpliciter dico, Pertinet res ad Influentem, & conſtituit morbum in numero. Ita dico I. Gal. enim procul dubio reſpexit ad diviſionem partium Hippocraticam, in qua quia ſpiritus ſunt, ſi illi fatiſcant, non poteſt alius eſſe morbus quam in defectu partis. Et quis credat, defectum illum eſſe ab intemperie, quia lipothymia ſubitò curatur. An hæc ratio non valet in ſpiritibus? Si enim craſſiores ſint, quam ut liberè ire poſſint, odorata attenuando curant intemperiem. Tum vero craſſities eſt morbus notus, & qui nullatenus huc facit. Eadem ratio obſtructionis eſt à

craſſis

craſſis vaporibus, a quibus lipothymiam frequentiſſime eſſe puto.

§ 8. Quia Fern. poſt Spiritum innatum ponit *Calidum innatum*, cupiam audire ab ipſo, ſciveritne affinitatem horum duorum inter ſe? Tam arcta eſt illa apud Ariſt. & Gal. ut *Spiritus* ſit *Calidum*, & *Calidum Spiritus*. Differunt autem ut Cauſa & Cauſatum. Calidum, in corde ſtabulans, conſtituunt reliquiæ ſeminis maſculi, per ſolidam cordis ſubſtantiam ita diſperſæ, ut coagulum per caſeos, fermentum per panes, ut Ariſt. negotium explicat. Hoc *Calidum*, in ſanguinem agens, facit *ἀναθυμιάσεις*, quæ ipſæ ſunt *Spiritus* illi *influentes*, ſine quibus actio fit nulla. Calidi ſi hæc eſt origo, facilis eſt reſponſio, An reſtituatur ab alimento? *Non reſtituitur*, Non tam facilis eſt, An ſeipſum interimat? Eſt quidem pro affirmativa Hipp. ſententia apud Gal. de Maraſmo. 3. Verum, refutat diligenter Gal. ibidem, referendo ſe ad 1. San. tuen. 2.

§ 9. Ex his intelligi poſſunt, quæ Mont. cap. 22. diſputat contra Fernelium. Ariſtotelis cum ille non meminerit, integrabo ego ſermonem, & ita exponam rem. Exſtinguitur Calidum hoc apud Philoſophum duobus modis

modis, vel per σβέσιν, vel per μάρανσιν: dic, Ferneli, uter modus eſt tibi formalis? Apud Gal. cum fiat etiam duobus, ſed ita, ut poſterior ſubdividi poſſit: dic, ô gratioſe, quam ex his eligere velis? An cum alimento (ὑπεράκαυμα vocat Hipp.) deſtituitur? An cum privatur motu ſurſum? An cum motu deorſum? Ponis tu quidem, & ſtrangulatum & frigus: ſed non ſatis te explicas. Quamobrem Montanus quærit, Loquerisne de exſtinctione facta? Non puto. Ita enim morbus amplius non eſt, ut in ſup. comprehenſum fuit. Loquerisne de fiente? Hæc ſi fiat â frigore, an non erit intemperies? ſi â laqueo, ſi à ſanguine affatim irruente in ſyncope Cardiaca dicta; ſi à vaporibus in febribus malignis, in ſuffocationibus uterinis, ſi à carbonum fumo aut calcis recens exſtinctæ, &c. annon erit morbus conformationis in viis? Hæc cum nullam inſtantiam habeant, jure cum Montano dixerim, Fernelius neſcit, quid ſcribat.

§ 10. Poſt hæc cap. 23. Montanus ſylvam horridam ingreditur, à qua mihi pene timeo, ob ingreſſum tam tenebricoſum. Cui enim, ut dudum etiam quæſtus ſum, morbi illi apud Fern. manifeſti ſunt, qui ſimul occulti ſunt? Sed audeamus, prævio imprimis Comite tam animoſo!

moſo! Is primum laudat Alex. Maſſariæ lib. de Peſte verè aureum. Deinde monet adoleſcentes, Caveant ſibi à Fernelii lectione! Id ipſum publicè, privatimque faciebat PH. SCHERBIVS, vir & ætatis conſtantis, & judicii dexterrimi. Tum vero rem aggrediens, impugnat cum dicto Maſſ. diviſionem Fernelianam morborum pestilentium & malignorum, quam non repeto. Mox fuſe docet, quid differat peſtilens à maligno? Subinde, quatenus vel multi, vel pauci ſint morbi, quibus debeantur hæc nomina? Tandem, aggreſſus cauſas, vellet quidem obtinere, Peſtem eſſe à ſolo aëre: ſed deſcendit denique illò, Frequentius id eſſe. Ego ex G. Agricola (quem cap. ſeq. laudat) didici, juſſus eò íre ab SCHERBIO, tres eſſe cauſas. I. Aërem, in ſubſtantia corruptum, ſive ſit à μιάσμασιν aliunde importatis, ſive in certo loco genitis. II. Aërem eundem, ſed in qualitatibus tantum mutatum, tum vid. cum ὡραῖα οὐχ ὡραίως ἀποδίδωσι, cum tempora non ſunt tempora, ut Hipp. loquitur. 3 Aph. 8. III. Victum malum, præſertim famis tempore. Prius illud non niſi rariſſime fit, & moritur tum tertia pars hominum, aves è tectis decidunt: duo reliqua frequentius accidunt. Hæc tria con-

ſtituunt tres cauſas communes, quæ efficiunt morbum unum communem, Peſtem. Neutiquam enim peſtis eſt morbus aliquis peculiaris: ſed in quocunque concurrunt hæc duo, Vt ſit à cauſa communi, Vt occidat multos. Hoc verò per rerum naturam non poteſt convenire multis. Ex his pendet quæſtio, An febris peſtilens & peſtis ſint unus morbus? Minimè. Peſtis enim latius patet, & plures ſub ſe morbos habet, in quorum cenſu febris peſtilens eſt. Quin imò, datur febris peſtilens ſine peſte, tum vid. cum à cauſa quidem communi eſt: ſed non dum occidit multos. Pendet quoquo modo hæc altera etiam quæſtio, Quæ ſit differentia inter has tres febres, Putridam, Malignam, Peſtilentem? Vulgaris & quantum judico, vera eſt ſententia, à Comite noſtro heic tacta, ſed tractata prolixè à Cæſalpino, 1. quæſt. Med. 12. differre majore minore putredine. Tu puta. In putrida (benigna) eſſe putredinem primi gradus, qui paululum ſit ſupra qualitates manifeſtas: in maligna eſſe jam ulteriorem, & qui tendit ad corruptionem: in peſtilenti in excellenti gradu, quæ dici poſſit ſordida, profunda, larga, tenax, contumax, omnino talis, quæ (ob craſſitiem fortè, ut in arſenico, cum pipere collato) vinci

à calore

à calore noſtro non poſſit, ut ſcripſi jam olim in D. de Febribus malignis. Nunc ut nihil muto : ita, explicatioris doctrinæ gratiâ, hoc ſuperaddo. Putridarum benignarum ſtatum in eo eſſe, ut *Combuſtio* potius ſit (quæ intra limites manifeſtarum qualitatum ſtat) quam *Putredo* : Peſtilentium contra, ut vera ſit *Putredo*, & quæ jam *Totâ ſubſtantiâ* ſit mortalis : Malignarum, ut medio modo ſe habeant. Majoris aut minoris malitiæ indicium fere eſt *Contagium*. Quo minus enim contagioſæ ſunt iſtæ febres, eò longius à peſte abſunt : quo magis, eò propius accedunt : cum maximè, jam ſunt ipſa peſtis. Hoc loco videtur anquirendum eſſe in id quoque, licet Noſtro intactum, An putredo illa extrema, quam κακοχυμίαν, διαφθορὰν, καὶ σηπεδόνα vocaſſe Veteres, docui alibi, dici poſſit *Venenum*? Non ego quidem à dogmate SCHERBII, Diſp. de Peſtil. 28, diſcedo, Si proprie & Medicè loqui velimus, non poſſe dici : ſin impropriè & cum vulgo, poſſe. Hoc autem adjungo, Quamdiu in corpore quod obſedit, hoſpitatur, non eſt, nec dicitur Venenum : at, cum ex hoc corpore in aliud corpus transfertur νοσηρὴ illa ἀπόκρισις Hippoc. *fomes* ille

ille *putridus*, qui de ſubjecto in ſubjectum tranſit, non poſſe commodiore alio nomine dici, quam *venenum*, vel ideo, quia agit *Totâ ſubſtantiâ*. Quidquid ſit: Ferneli, ubi heic eſt forma tua?

§ 11. Credam oboluiſſe illi, tale quid quæſitum iri ab illo. Ideo 2. Abdit. 12. valde ſatagit, ut extundat illam. Hujus loci examen dum inſtituit Montanus cap. 24. oſtendit quidem ſtudium ſuum perpetuum conculcandi mendacium: ſed non video, cur tantopere laudet illum, quem mox tot injurioſis vocibus laceſſit? Legi, neſcio ubi, *Leonis laudibus qui murem ornet, non ornet, ſed obterat.* De Phocione olim Demoſthenes, *Securis veniſti meorum ſermonum*: de Montano non idem dicat Fernelius? An oſtentare voluit triumphum de hoſte glorioſo? Glorioſo vero, cujus peccata, errores, falſitates, oſcitationes, ineptias, inadvertentias, inſcitias, quin portenta dogmatum tam liberè enumerat? Quem cauſas apertas ad obſcuras ait redegiſſe, cum contra deberet? qui ita agat, ut exiſtimationem Medici amittat? ut Hipp. familia indignus ſit? cujus aſſertiones, nec à Philoſophis, nec à Medicis admittantur? qui adeò cœcus ſit, ut confirmet ex Gal. quæ contra ipſum ex Gal. afferri poſſunt? qui aliorum

aliorum errores notet, ut ipſe in errore perſiſteret? cum hoc,inquam,cur ineptit, veluti concludit ipſemet? Et quæ tanta ipſius authoritas eſt? Apud adoleſcentes, qui cito volunt fieri Doctores? apud viros,quos pudet dediſcere? apud ſenes bis pueros? Hiccine peritiſſimus eſt utriuſque linguæ, qui Græca quidem extremo digito non attigit : Latina tam perverſe didicit, ut opus habeat reformatore ſtyli? Hiccine in optimis diſciplinis verſatiſſimus eſt, cui ſuperiora omnia objici poſſunt? & quidem ex hoc ſolo cap.

§ 12. Quo minus à me expectet quiſquam,ut ſim referendarius Montani, adeò late inutilia ſunt omnia! Vnum tamen, imitatione SCHERBII, levi brachio excutiam, in quo fere ſumma rei conſiſtit, μίασμα, ſeu inquinamentum illud peſtilens, quod è cœlo derivat ille. In hoc architectando cum tantos labores impoſuerit ſtellis, ſcire quis, non ſine cauſa fortaſſis, aveat,cujus id vel authoritate fecerit, vel qua experientia didicerit? Ex doctrina Stoica hauſiſſe facile credo, imitando araneas,quæ, ex quibus floribus apes conficiunt mella ſua, ex iis illæ venenum.Huc inducar,quod Medici illi Siculi, quorum Montanus facit mentionem, peſtem ſuam non auſi fuerint

 appel-

appellare peſtem,ſed *filiam peſtis*. Ridiculè profectò! Forte an idem ſenſerunt, quamvis aliter locuti ſunt, tres illi HIERONYMI, ſummi viri, CAPIVACCIVS, MERCVRIALIS, FABRICIVS ab Aquapendente. Hi enim ſunt Patavini illi, quos Montanus producit in ſcenam, quique anno 1575 Venetias vocati, conſultique, An, qui tum ibi graſſabatur morbus, peſtis eſſet? reſponderunt, Non eſſe. Verum, cum poſteà res ſequius caderet, tres illi penè infamia notati ſunt, eoque neceſſitatis adducti, ut ſcripto edito perſuadere vellent, Succeſſiſſe demum aëris corruptionem. Quaſi verò neceſſe ſit ſemper eò devenire rem, nec poſſit fomes mali aliunde inferri! Compertum enim tum quoque fuit denique, ex agro Tridentino cum lectis infectis perveniſſe hoſpitem hunc terrificum.

§ 13. Ad rem, quam agimus. Hoc μίασμα quid eſt in Medicina? Non Medicum, ſed Metaphyſicum! dicebat SCHERBIVS cum ſuavi riſu. Oportet omninò ex animo delere omnem cæli morbum, ut Virg. vocat: & firmiter credere, Quidquid heic eſt, elementare eſſe. Tum verò hoc alterum perſuadere ſibi, Impunè quidem venenum nominari poſſe:

poſſe : ſed morbum haud impunè, cum (uno verbo) cauſa ſit. In hac enim expugnanda omnis omnium Medicorum deſudat induſtria. Ita in lue Veneria, virus illud, quod ab infectis transfertur in alios, quid aliud ſit, quam Cauſa? Ita in rabie caninâ. Ita in omnibus venenis aliis. Hæc, ut dixi ſuprà, morbos quidem faciunt Gal. notos: ſed curatio eſt Empirica, ut Gal. ipſe tradit in Meth. Hinc intelligitur vanitas illorum, qui de morbis occultis integra dant nobis volumina! Qui ſi dicant nobis, Atqui hi morbi propriis alexipharmacis curantur: reſpondebitur iterum, Illa cauſam reſpicere, non morbum.

§ 14. Hæc ipſa dicta mihi ſunto de febre, carbunculo & bubone peſtilentibus c. 25. Re enim verâ profunda illa putredo non præbet alias indicationes ab iis, quæ in putridis benignis ſunt. Vt enim in benignis alteramus, quod putreſcit; vacuamus, quod putruit: ita in malignis, hac ſolum differentiâ, quod in illis utimur ſimpliciter alterantibus, in his totâ ſubſtantiâ, experientiâ cognitis. Qua in re placet mihi Montani ſtudium, qui obſervat, Fernelium ipſum aliquando Cauſam vocare, & tamen adſcribere illi, quod Morbi eſt. Viden' tu, ut Adraſtéa caput exſerit?

§ 15. Quid iſtuc vero eſt? Animadverto eandem divam ſeſe oſtentare quoque in Exanthematis cap.25.ut ille vocat *Variolas* & *Morbillos* noſtros. Quo minus ſoliciti eſſe debemus in poſterum. Interim monere oportet, Recte à Montano refutari Fernelium, qui vult, d. Morbos fuiſſe Græcis olim cognitos, & quidem ſub nomine Ex anthematum. Recte refellitur idem, cum Avicennæ ſe opponit, ajentes, Reliquias eſſe ſanguinis materni. Hanc cauſam accepto, quamvis (quod objiciunt quidam) non in omnibus appareant. Si enim inter mille millenos uni ea felicitas contingat, ut immunis ſit, non ob id falſa cauſa eſt. Stat igitur Arabis ſententia vel ideo, quia ſubſtituta à Gallo cauſa nihil valoris habet. Stat illud quoque, Cauſam, non morbum ipſum eſſe, quod in ſanguine ſupereſt, & ebullitionem facit certis temporum intervallis. Tandem & illud, quamvis hi duo affectus etiam peſtilentes ſint cum febre: non propterea ſemper ita eſt, ut Fern. vult cum Agricola. Cæterum, paraplegiam Hipp. 1. Epid. 2. t. 59. & 60. accenſendam fuiſſe peſtilentibus, clare negat Gal. in Com. ut Mont. obſervat.

§ 16. Quia dux noſter cap. 27. teſtatur eandem divam præbere ſe conſpiciendam

dam in venenoſis & contagioſis morbis, temere huc accerſitis: quid opus eſt cura noſtra? Sed agamus cominus, I. Affert *Torpedinem marinam.* Quemadmodum non negatur, actionem eſſe à tota ſubſtantia: ita negari non poteſt, inducere morbum cognitum, intemperiem nervorum frigidam, & quidem quatenus cauſa eſt. Quin credere lubet, non eſſe morbum, ſed ſymptoma primi generis. II. *Opium* adducit. De hoc ſciendum eſt, eſſe inter medicamenta, quæ nobis ſimplicia videntur, cum reapſe compoſitum ſit. Licet enim in confeſſo ſit, frigidum eſſe in 4. gr. adeoque frigiditate interficere: habet tamen calidas partes multas, quæ vehiculum præbent frigidis, ut eo citius enecet. Interim ſum ejus ſententiæ, ἀῤῥήτῳ potius δυνάμει agere, quam manifeſta. Quidquid ſit, iterum occentandum eſt hoc Fernelio, cauſam eſſe, non morbum. Damus enim Malvaticum illis, qui plus juſto ejus hauſerunt. Et hæc eſt antidotus ipſius. III. *Rabies* eſt *canina*, unde Hydrophobia. De hoc quam certum eſt agere totâ ſubſtantiâ: tam certum eſt cauſari intemperiem calidam & ſiccam, cujus antidotus ex Aëtio eſſet aqua frigida copioſe hauſta, ſi modo admitterent. Antendit eo pulvis cancrorum marinorum

 Æſchrio-

Æſchrionis? Habent enim νάρκωσιν? Interim & heic cauſa tantum eſt. IV. Vno manipulo *ſcorpionum*, omniumque ἰοβόλων, quemadmodum & telorum veneno infectorum, *ictus*. Reſponſio eſt eadem: Sunt cauſæ morborum notorum, & quæ cura per antidotos affertur, opponitur eidem cauſæ. Et hæc de venenatis.

§ 17. Inter contagioſos in primâ acie collocat *luem Veneriam*. De hac in ſpecie declarat Fernelium Montanus pro reo, ab Adraſtéa accuſato juxta, & legitimè damnato, Saniem illam, quam alaſtor aliquis in συνουσίᾳ, oſculove, ut & in conſudatis lectis accipit, eſſe Cauſam efficientem intemperiei, non frigidæ & humidæ (qua in re pueriliter lapſus eſt Rondeletius) ſed calidæ & ſiccæ. Hoc docuiſſe ait Caſſanum, Fracanzanum & Friſimelicam, perſuadetque hoc Maſſaria, alii. At curamus Guajaci decocto, quod calidum & ſiccum eſt. Solemus etiam ulcera, gummata, aliaque ſymptomata inſignire peculiari hoc nomine, videlicet quod Gallica ſint. Primum, do inſtantiam. Curamus etiam Chinæ decocto, quo Ægyptii pinguefaciunt uxores ſuas, authore Pr. Alpino, de Med. AEg. Sed ſcio, quid reſponderi poſſit: dico igitur cum Montano, Curatio illa ſumitur à

cauſa,

cauſa,quam diſjicere & perdere volumus ſudoribus,&c. Fortaſſis igitur *Cauſa continens* eſt? Non eſt:ſæpe enim remotâ hac causâ manet Intemperies,nimis jam fortiter impreſſa. Propterea, quo maturius curatio inſtituitur, eò felicior ſolet eſſe.

§ 18. Poſt d. luem *Elephantiaſis* eſt,in qua Montanus hominem valdè duriter tractat, quod temere obſtrepat Gal. omnibuſque doctis, qui nunquam quidquam heic veneni invenerint. Mihi ſatis ſit hoc indicaſſe.

§ 19. Poſt Elephantiaſin *Epilepſia* eſt, quam ſaltu ſupero,ut ſeorſim de illâ agere, poſſim, cum ſolâ hac atteſtatione, Morbum formæ non eſſe.

§ 20. Atque ut libenter fateor, magnam eſſe cognationem Epilepſiæ cum tribus illis morbis,de quibus cap, 32.agit Montanus,*ſuffocatione uterinâ, ſyncope* & *palpitatione*, quatenus à vapore ſunt: ita pernego,eſſe à veneno intus genito,à quo morbi ſunt formales. Sed vocet vel blityri, vel ſcindapſum. In *ſuffocatione uterinâ*,vapor ille ex putri vel ſemine, vel ſanguine, vel utroque ortus, nihil aliud eſt quam Cauſa. illa eſt in intemperie uteri, vaſorumque ſeminalium, non frigida, ut Montanus vult: ſed calidâ, quæ, non minus ac ventriculo, indicibiles

corruptiones cauſatur. At flatus fiunt à frigiditate, dicat aliquis pro Montano? An opus eſt heic diſtinctione, ſiquidem accurati eſſe volumus? Flatus enim vulgo dicti, qui borborygonos faciunt, doloreſque colicos, fiunt à manifeſtis qualitatibus, caliditate, inquam, non proportionata ad materiam: at vapor, de quo loquimur, tota ſubſtantia agit, ſimilis corruptioni nidorulentæ in ventriculo, de quo dixi, & dicam mox iterum.

§ 21. *Syncope*, ex corrupto ſanguine, non eſt à frigida cordis intemperie: ſed à vapore illo, qui tota ſubſtantia eſt alienus à natura cordis, adeoque non refrigerante, ſed comprimente, & compreſſione ſua obſtruente orificia vaſorum cordis, quo minus fiat caloris diſtributio. Eſt igitur in extremis frigus privativum.

§ 22. *Palpitatio cordis* eſt à calore, faciente intumeſcentiam ſanguinis in corde. In his tribus affectibus quid eſt formale?

§ 23. *Venena externa*, aconitum, taxus, ephemerum, cantharides, quæ cap. 33. intruduntur tanquam furcillis, quid aliud ſunt, quam cauſæ, morbos tamen notos cauſantes, ut ſæpe eſt dictum?

§ 24. Cap. 34. & ult. miror cur repetat Montanus cramben, ſupra tam clarè refu-

refutatam,& toties!Cauſa à tota ſubſtantia facit morbum à tota ſubſtantia. Vt pauca dicam, Inprimis hoc mihi moleſtum eſt,quod credi volunt,Morbos formæ Fernelii eſſe eoſdem cum Morbis totius ſubſtantiæ Gal. Nihil minus. Tota enim ſubſtantia eſt elementare quid : at Forma illa eſt cæleſtis, aſtralis,uno verbo, *Cauſa continens Stoicorum*.Deinde do hanc inſtantiam. Cum cibi in ventriculo calidiore corrumpuntur, quam mira eſt varietas ſymptomatum?Alii videntur ſibi percipere odorem ovorum frixorum, quamvis non comederint ova. Alii putres piſces,alii indicibile quid.Hæc tamen omnia ab uno calore, ratione individuorum variante,inducta ſunt. Vide I. Alexandrinum l.de Theriaca.Propterea perſto in eo,in quo Montanus quoque : Tota ſubſtantia parit morbos notos : tamen curatio illorum non perinde ſuccedit per indicationes rationales, ſed opus eſt experientia. Hinc adeò fit, ut aliquando fruſtra ſint omnia remedia. Cur? Neſcimus modum corruptionis humorum. Hujus rei exemplum præbuit nobis ante hos aliquot menſes DD. ZACHARIAS BRENDEL, Iunior, ut de indicio amicorum Ienenſium habeo. Ex his jam patet, (concludit Montanus) quam

quam præclara ſint inventa Fernelii, quibus artem ampliaſſe ſe gloriatur in præf. *Ampliavit*, dicam ego, *ſi nomen hoc debetur ſementi putidarum litium*, quod Sophiſtarum eſſe, Galenus alicubi ſcribit.

De Convulſione contra Eraſtum, CAPVT. VIII.

§ 1. QVandoquidem in maleferiata iſta forma reſtat nobis Epilepſia; illius verò natura inclareſcere non poteſt, niſi certi quid de Convulſionibus dicatur: age dum ſumamus in manus Eraſti * diſputationem, celebrem magis, quam doctam, quam ille Heidelbergæ anno 1575. habitam, appendit Anatomæ ſuæ. Eſt etiam inter eas, quæ Tiguri ſunt excuſæ 1595.

§ 2. In. D. 1. ſtatim admiratione dignum eſt, quod vir tantus confundit *σπασμὸν καὶ σπάσμα*! Σπασμὸς eſt affectus ille, de quo agimus: *σπάσμα* eſt ſolutio continui quædam. Hac de re ego ſæpè Notis in Gal. Ibidem, cum meminerit motus arbitrarii, eundemque D. 3. ex ſententia Medicorum diſtinguat à naturali: officii ipſius erat, ex fundamentis iſta explicare, hoc fortè modo. Apud Ariſt. quidem diſtinctionis hujus veſti-

Quid ipſe judicet, vide in Epiſt. n. 33. gium

gium nullum eſt: Galenus autem, uſu ſic depoſcente, à Stoicis ſumtum diſcrimen inter *Naturam* & *Animam*, hunc quidem *Naturalem* vocavit, illum autem *Animalem*, *Arbitrarium*, *Voluntarium*, latè accepto vocabulo, ut brutis etiam competit.

§ 3. Fine ejuſdem D. 3. ſub nube latet, cum ait, Montanum voluntariorum quoſdam non ſimpliciter parére voluntatis imperio. Quæro enim, qui ſunt illi? Et intereſt lectoris rebus, vel per unicum exemplum moneri, quandoquidem nemo hominum divinare poteſt, quid illi ſub mentem fuerit. Sed exſpectemus ſanè, uſque dum commodum ſit illi ſe explicare. D. 4. idem patitur, cum ait, Motus voluntarii propria inſtrumenta eſſe muſculos. Indicat quidem per τὸ *propria* quid velit: ego verò expoſitas velim omnes partes, quæ ad motus editionem neceſſariæ ſunt, hoc fortè modo, qui infra latius explicabitur. Spiritus, motus autores, originem habere è corde: perfectionem nanciſci in cerebro: deferri per nervos, tanquam tubos, ad muſculos: muſculos denique eſſe partem principem hujus actionis, in perfectioribus ſcil. animalibus. In imperfectis enim eſt analogum quid. Hinc lucem accepiſſet D. 8. fieri poſſe, ut muſculus in ſubſtantiâ

illæſus

illæſus, vel non agat ſua, vel pravè, ſi vid. vel non habeat ſpiritus, vel male diſpoſitos. Et hic eſt ſenſus Gal. 1. Loc. affect. ult, nec vel ſomnium pugnæ ibi eſt.

§ 4. In D. 2. & 5. neſcio an ſatis Medicè loquatur, Convulſionem duo ſignificare, Imo vero ex 2 Meth. 2. dicere debuerat, Morbum hunc nomen habere à ſymptomate. Quamobrem etiam D. 6 laborat. Cum enim ſymptoma incurrat in ſenſus, non indiget ullâ curâ: indiget autem cauſa, ut tollatur. In D. 7. quid eſt, Muſculos non prorſus naturaliter eſſe affectos? Si enim ſunt πρῶτον δεκτικὸν, utrique ſimpliciter laborant. Verum, cum hoc adverſetur commento ipſius, uſus eſt hac verborum circuitione.

§ 5. In D. 9. quam verè docet, Motum eſſe actionem organicam, impedimentum motûs à morbo organico: tam involutè id proponit. Vbi enim ſunt partes, motum conſtituentes? Cæterum, non debet heic morari quenquam, quod muſculos alioquin habeo inter partes ſimilares. Sunt ſimilares ſecundum dici, non ſecundum eſſe, ut me explico Tract. de Part. ſimil. Concurrunt enim ad actiones perfectorum organorum, oculi, brachii, pedis.

§ 6. Hinc expediet ſe ille, cui ex D. 10.
hoc

hoc dubium oriatur, Quomodo pars ſimilaris poſſit eſſe muſculus, qui conſtet ex tribus partibus, Carne, tendine & nervo? Non eſt pars ſimilaris ſecundum eſſe. Imo vero, niſi addideris, *Fibras*, partem potiſſimam, quippe in qua robur ipſorum conſiſtit, errabis. Hæc unde ſit, cognoſces ex iis Gal. locis, quibus generationem muſculorum docet. An dicet Eraſtus, ſe ſub tendinibus comprehendiſſe? Non poteſt. Nam D. 11. fatetur, non omnes muſculos tendines habere, 1. Met. muſ. 3. Quiâ ipſâ D. quia incipit diſpicere, quæ ſit pars princeps muſculi? jure venerit alicui in animum, Rectene, an ſecus id fiat? Iam alibi διαῤῥήδην dixi, duce Ill. D. ab Aquapendente. Vbicunque opus aliquod perfectum editur à pluribus partibus, καθ' ἐντελέχειαν agentibus, non eſſe quærendam partem principem in hac, vel illa: quin unam aliquam totam eſſe illam. In oculo jure quæritur illa, quia viſio fit ab oculo ſolo. In motu non poteſt: quia fit à tot partibus, quot dictæ ſunt. Quæ igitur eſt illa? dicis fortaſſe. Muſculus totus. Ita in brachio, muſculi hunc locum principem habent, 1. Vſ. part. Vt res fiat manifeſtior, accipe hoc quoque. Valde ſe effundit Gal. 6. Sent. Hipp. 8. de omnibus viſceribus ſanguineis loquens,

loquens, & 4. Vſ, part. 12. de hepate in ſpecie, in laudes carnis hujus, hanc ſc. eſſe in ſingulis propriam uniuſcujuſque viſceris ſubſtantiam, partem principem, ut alibi loquitur. At verò ſi intimius inſpicias, caro illa nihil aliud eſt, quam tomentum (δίκην στοίβης ait) vaſis circumjecta, ne in motu violentiore periclitentur. Ita in muſculis quoque ſe habet. Vt dicere poſſim, per te, ô Eraſte, ut tendo non eſt pars princeps, propter cauſam dictam; ut nervus non eſt, propter tria argumenta, D. 12. narrata: ita caro non eſt, ſed præbet tantum fibris tomenti uſum.

§ 7. Quid nervi ad motum conferant, duplex erat veterum opinio, Altera, trahere muſculos inſtar habenarum: altera, eſſe tubos ſeu canales facultatis. Priorem nimis operoſe refutat à D. 12. uſque ad 26. Poſteriorem nudis verbis aſſerit D. 27.

§ 8. In hoc diſcurſu tria mihi diſplicent. 1. quod. D. 17. tractionem ideò negat, quod nervi inſerantur etiam in alias partes mobiles, os ventriculi, veſicam, renes &c. quæ tamen non moveantur. Diverſitatis ratio hæc eſt, quod nulla præter muſculos pars eam habeat conſtitutionem, ut impleri poſſit, & brevior ſe ipſa fieri. Muſculus autem ſolus

ventrem

ventrem habeat, inania inter fibras ſpacia, quibus, inſtar follis, occupatis ab ſpiritu animali, fit rigidus. II. quod D. 18. tantum tribuit huic ſuo argumento, ut amplius urgeat. Non enim ſufficit exortus, ſubſtantia & temperies: oportet adſit quoque (& quidem principaliter) conformatio. III. quod D. 20. improbat ſimile Gal. 1. Sent. Hipp. 9. à vecti deſumtum. Gal. enim non dicit, nervum immobilem movere muſculum: ſed muſculum, per nervum accepto ſpiritu animali, factum rigidum inſtar vectis, movere loco oſſa.

§ 9. Quo minus morari quenquam poteſt metus, quem D. 21. ſumit à mollitie nervorum. Non enim nervus movet, ſed muſculus, eo modo habilitatus, ut ſic dicam. Multò minus id, quod D. 22. crepat, Nervos non diſſeminari per totos muſculos. Sufficit enim ſpiritui quoquo modo præberi aditum. Et quei tu ſcire potes, quam altè ſe immergat nervus? Cum enim fibrulæ ſint minutiſſimæ, ſimiles τοῖς ἀπανθισμοῖς, ſtatim abrumpuntur, ſi trahas. Præthereà, cum ſubſtantiam ferant tenuiſſimam, non opus habent eâ capacitate, qua venæ & arteriæ. Quam etiam ob rem, non eſt opus

oculis.

oculis advocatis, ex. 1. Loc. aff.6. Humanis, inquam, cum nec aquilini eò ſe penetrent. Hoc ipſum abſolvit nos à parvitate, quam urget D. 23. Hoc idem à modo inſertionis, D 24. Sufficit, ut dixi, ſpiritui patere viam, cum muſculus moveat, non nervus. Quin fatetur ipſe D. 27. 35. 68. & alibi, Nervi hoc tantum eſſe officii, ut deferat vim agendi.

§ 10. Quam rectè igitur concludit D.25. Certo certius eſſe, muſculos non ideò contrahi &c. negando primum uſum, §. 7; qua bene declarat alterum D. 27. tam ſiniſtrè repetit D. 29. axioma ſuum de carnis principatu. Vt enim dixi, uſum præbet tantum fibris, ne in validiſſimis iſtis motibus periclitentur. Fit autem motus, ut pariter dixi, non trahendo, ſed implendo, inſtar utris ſeu ſacci. Quo magis perſiſto in ſententia, veteres ob hanc ſolam cauſam tribuiſſe muſculis ventrem, quamvis λέγω potius θεωρητὸν, quam αἰσθητὸν, ut Græce dicam.

§ 11. Quæ igitur, inquis, pars princeps eſt in muſculo? In ipſo muſculo nulla eſt: ſed muſculus, in illa congerie partium, ad motum neceſſarium ſupra § 3. eſt pars princeps. Hinc adeo fit, ut recte ſcribat D. 30. Depravatam muſculi contractionem, eſſe primam & proximam

Convul-

Convulſionis cauſam. Quas vero ſubnectit D. 31. Cauſas ſecundarias, non unam habent ἔνστασιν. Prima & levicula eſt,ſi modo eſt, quod Convulſionem facere videtur morbum in figura. Figura enim illa eſt paroxyſmi, ſeu τȣ̃ πάθȣς, non morbi. Evidentior eſt altera, quod nimis inconditam farraginem illarum ſtruit. Evidentiſſima tertia, quod non diſtinguat *Vapores* ab *Humoribus*. Illi enim huc pertinent,non hi, niſi quà materiam præbent vaporibus.

§ 12. Hæc poſterior culpa fit conſpectior, quod D.32. de propinquis cauſis acturus, iterum temere projicit humores & vapores. Nec ſatis exputare poſſum, quo modo *Repletio* & *Inanitio* poſſint eſſe cauſæ propinquæ: imò verò nec pro remotis agnoſco. Tanto magis, quod ἐκ παραλλήλȣ ponat humorem,vaporemve acrem, quem pro tertia cauſa acceptat. Nec poteſt effugere crimen negligentiæ, cum non diſtinguit Epilepſiam (ad hanc enim delabitur) per conſenſum ab ea,quæ per eſſentiam,ſiquidem bonus Galeniſta eſſe vult. Imo ſum ejus ſententiæ,Convulſionem non proportionatam ad materiam eſſe *Cramſum* noſtrum. Qui ut eſt à vapore (ſolo) apud adverſarios quoque: ita omnis Epilepſia,omnis con-
vulſio

vulſio eſt ab illo,ut probabitur infra.

§ 13. D. 33. excuſare fas eſt, quod loquatur ex aliena ſententia. Refutat enim inanias illorum, qui interrogati, Quomodo *Repletio* & *Inanitio* cauſent convulſionem? reſponſant, Quatenus utraque nervos contrahit, brevioreſque facit. Hoc enim, ut ferè loquitur D. 37, homo nullus credet, qui Anatomiæ gnarus ſit, & rem ipſam examinarit. Revera dexterrimum de hoc ἀρχαίῳ λόγῳ Averrois eſt judicium 3: Coll. 33. eſſe *verba Muſicorum*,hoc eſt,Cerletanorum, & Montembancorum, quos Itali vocant. Hoc tanto acceptius eſt mihi,quod video Eraſtum quoque damnaſſe falſam hypotheſin, ut vocat D. 34. & pulcrè explicuiſſe D.37.Imò addo,Quam irrationabile eſt in cerebro per eſſentiam affecto, ex hypotheſi:tam abſurdum eſt in affectu per conſenſum. Vtrobique enim ſymptomata ſunt gemina, quæ omnia ducunt nos ad *Vaporem*,de quo dicetur.

§ 14. Quæ cum ita ſe habeant, ne opus quidem eſt triplici Gal. teſtimonio, D.35. & 36. ex 1.Mot. muſc. de Conſtit.4. de Palp. & trem.3. Quibus cum nihil clarius,certius,efficacius excogitari poſſit, multò minus opus erat longâ illâ contra Repletionem & Inanitionem

nem ἐξηγήσει, à D. 38. uſque ad D.68. Sed ita eſt: voluit pervicaciæ & ſtupori recalcitrantium obviam ire. Legant igitur ii potius, qui falſis delectantur præ veris: at bonæ mentis juvenes ad utiliora properent.

§ 15. Ego obiter duo moneo, propter Avicennam & Averroëm. Illum D. 58. accuſat, quod ſcripſerit, nervos per convulſiones impleri craſſo humore, cum tenui dicere debuerit, ſi omnino ita fieret. Ego in mea ed. Venetâ anni 1507. in 4. reperio iſta verba *Aut propter ventum groſſum, retentum in tranſitibus ſpiritus, ſecundum quod viſum eſt Philoſopho magno Ariſt. Et vidit*, addit, *ipſam eſſe unam cauſarum Epilepſiæ*. Quo ex loquendi modo ſatis patet, Principem nihil definire, ſed acervare tantum Veterum ſententias. Hunc D.61. ait probabilia ſcripſiſſe, cum à flatu diſtendi cenſuerit: verum imaginarium hoc eſſe. Ego in mea pariter Venetâ ed. anni 1514. inf. reperio, Meminiſſe quidem humoris aërei, qui diſtendat, ſed nihil determinaſſe. Hoc etiam offendo, Ferre Arabem judicium, non de ſuâ ſententiâ, ſed de Hippocraticâ. An dicere mihi licet, Eraſtum ſententiam ſuam, de qua mox, hauſiſſe ex iis, quę immediatè ſubſtant? *Sed quando fit hæc contractio,*

naſcitur

*naſcitur bellum inter duos motus,&c.*Manifeſte diſcedit ille quoque à Gal. in genere ſymptomatis,de quo mox.Quidquid ſit:

§ 16. Elevat D.61.flatum,ſeu vaporem noſtrum exemplo ſpaſmi vulgaris, quem *Cramſum* vocamus. *Hic* vult dicere, *quia ſanis omnibus ſupervenit, & facile ſolvitur, ſi convulſiones quoque inde eſſent, nec tam periculoſæ eſſent,nec tam curatu difficiles.*Eja verò,vir magne,ſi nobis omnibus familiaris ſpaſmus, unius quippe & alterius muſculi motus ſuperficiarius, tam contemtibilis eſt,fueritne etiam univerſalis? Non,credo,diceres, ſi,quemadmodum ego, vidiſſes & curaſſes illum. Sed & univerſalis ille multis paraſangis abeſt à diritate Tetani & affinium,quippe qui aliquando ſubito occidunt.Referam tamen & de ſpaſmo noſtro ridiculum quid. Senex quidam, qui ſpaſmum noſtrum ſenſerat nunquam,niſi uno,alterove menſe ante mortem, cum ſuperveniſſet tum, conclamavit familiam magna voce, O helft/helft/ der Todt faſt mich am Fuß an!Putas hunc ἀναίσθητον fuiſſe? Dico igitur, Cramſus eſt ima convulſionis ſpecies,& conſiſtit quidem in vapore, qui tota ſubſtantia peccat: ſed qui & quantitate& qualitate exiguus eſt. Reliquæ convulſiones à vapore ſunt & copioſo,

pioſo, & inſigniter malitioſo, genito ex corruptione indicibili, differentiam habentem ex individuis, &c. Quo loco fortè illud moneri debet, D. 78. iterum contemni Cramſum, quod convulſio ſit impropriè dicta. Hoc quanti ſit ponderis, videt quilibet.

§ 17. In D. 62. obſervo ἀνακόλουθον in verbis illis, *Quibus addi poteſt, &c.* Quomodo enim cohærent cum antecedentibus? Imò, ubi dixit Averroës, Paralyſin præcedere convulſionem, adeoque combibi prius humorem à nervis, qui vel poſteà in flatus, vaporesve vertatur, unde convulſio? vel cui humori ſuccedant aliunde flatus, qui ſint convulſionis autores? Quid ſomniis vicinius, quam iſta talia? Hic enim eſt ordo, Vapores, vel intra cranium geniti, vel ex inferioribus ſurſum lati, & nervis intruſi, deſcendunt propter continuationem in muſculos, & rigidos faciunt.

§ 18. Quam facilè verò dicuntur illa D. 63? *Fieri non poſſe, ut plures nervi eodem modo impleantur, & quæ ſeq.* Voluntaria omnia! foliis leviora caducis omnia. Si enim humorem mutes in vaporem, cavitatibus nervorum quodammodo analogum, habebis, quod quærebas.

§ 19. Hujus generis ſunt illa quoque

D.64. Nec ſatis eſt accuſaſſe alios dementiæ, cujus ipſe ſis reus, Viderunt alii quoque nervos tam cerebri, quam ſpinalis medullæ, antequam durâ matre induantur, nec pro impoſſibili habuerunt id, quod, Ariſt. duce, doceo. Quo minus neceſſarium fuerit examen D.65, & 66. Abſurda enim illa duo facilè mole ruunt ſuâ. Non magni etiam momenti eſt explicatio Hipp. D.67. quamvis ſciam Saxoniæ quoque meo amicam fuiſſe. Rondeletii mentio D.68 ἀπροσδιόνυσος eſt. Concluſio tandem D.69. & 70. tantum non odioſa eſt illi, qui expectat, quid tandem futurum ſit de ſubjecto convulſionis adæquato.

§ 20. De quo ſubjecto antequam dicere occipiam, neceſſitas me compellit circumſpiciendi, ex quo ſymptomatum genere ſit convulſio? Notum eſt omnibus, tria eſſe. Aut enim fiunt à naturâ ſolâ: aut à morbo ſolo: aut à natura & morbo ſimul. Dic, Eraſte, ſub quâ claſſe velis collocatam tuam ſponſam? Si Galenum ſequi maluiſſès, quam neſcio quas cogitationes tuas, conſtanti calamo ſcripſiſſes ex 2. Cauſ. ſym. 1. & 2. in ſecundo genere eſſe, à morbo ſolo, itaque excuſſiſſes humeris tuis, ingens onus. Nunc quia trepidas, nec dicere audes, quod res

eſt,

eſt, ἀνεξερεύνητον πρᾶγμα διώκεις, ut Græci loquuntur. Ego quidem cum attentis oculis, & vigili animo, tanquam Methragyrtes quidam, ſolicitè perquiror D. tuas, nec vola, nec veſtigium occurrit ſimplicis aſſertionis. Quid igitur? Ex conſequenti tantum elicitur, velle te ex tertio genere eſſe, in quo ſuæ quoque partes ſint Naturæ. Quâ in re quantis opus habeat machinis, iiſque omnibus fallacibus, videbimus in ſeq.

§ 21. Harum prima, eaque futilis adeò, ut ad primum contactum diſſiliat, eſt de πρώτῳ δεκτικῷ. D. 71. Heic D. 72. ſtatim offendit, cum ad motum requirit tres tantum partes, Cerebrum, nervum & muſculum. Vbi enim cor eſt? quo ſine tam præſtans actio fiat? Sed poſſit excuſari: Nervum ille ſubitò dimittit, me non invito, & concludit, *Ergò inerit ea* (cauſa immediata & prima) *vel in muſculi corpore, vel in cerebro.* Mirabilis ratio argumentandi! Cur enim non muſculos quoque ablegat, ut nervos, & firmat ſe in ſolo cerebro? Profectò, hoc non eſt explicare, ſed implicare.

§ 22. Sed benè fecerit: Muſculum quò modo aſpellit? Proponit D. 73. quinque modos, quibus muſculi fiant breviores,

& refutat omnes. Ego verò brachio arreptum pertraham ad D. 78. & dicam illi in os, Eſt inſufficiens enumeratio. Te ipſo enim fatente, à flatu quoque fit convulſio. Hac de re jam dixi quædam, & dicam mox plura.

§ 23. Refutat omnes, dixi, ſiquidem refutare eſt ex ſolido Taciti fundamento loqui, ut quidam jocari ſolent. Cur enim duos priores modos ſaltu ſuperat? Nec dici poteſt, actuarii culpam eſſe. Quei enim *Repletionem* accerſere poteſt, qui illam in ſuperioribus tam fuſe refellit? Dicat aliquis ex D. 52. Non rem, ſed modum negavit. Det igitur alium modum. & contentus ero. Ille verò tacet. *Congelationem* ſcio Rondeletium, alioſque admiſiſſe, non heic tantum, ſed & in Catalepſi: ſed quis credat fieri poſſe in corpore vivo? An quia pudebat, diſſimulavit quidem heic: ſubſtituit autem D. 77. frigus vehementius? Dicit ille quidem *Inſolens* eſſe: ego confidenter, I*mpoßibile* eſſe. Quid illud verò eſt, quod, poſt quinque illos modos, addit hunc ſextum? Imò, quid illud eſt, quod, poſt ſex modos, ſuperdat D. 78. ſeptimum? Flatus? ADRASTEAS hoc factum eſt. Ejus rei argumentum eſto, quod litem de re transfert ad litem de nomine, ut jam præmo-

præmonui. Et quid illud eſt, quod ſtatum controverſiæ ita format, *Quæri cauſam motus, qui fiat illæſo muſculo*? Quei enim hoc per rerum naturam fieri poteſt? Poteſtnè credi, Epilepticos tantopere dolere, tantoperè rigidos habere muſculos, ut nec à fortiſſimo viro dirigi poſſint membra, illæſis muſculis? Hoc experiuntur illi, qui pollices contractos eripere illis volunt.

§ 24. Rebus ſic ſtantibus, quæram ab Eraſti patrono, unde ſit illud *Ergò*, D.79? item *Neceſſarium* illud? Muſculum enim affectum minimè eſſe, tam non probavit, quam ego probare non poſſum, Nivem eſſe atram. Et deſerit *Neceſſitatem* ſuam iſtis verbis, *Niſi cum à flatu diſtenditur*. Profectò, hæc altera ADRASTEAS vox eſt, quam qui non exaudit, ſurdus eſt.

§ 25. Vt igitur libentiſſimè concedo, ſine etiam Gal. autoritate, 5. Aph. 5. Diſp. eâdem, ſine etiam rationibus, D. 80. illatis: ita muſculos eſſe affectos φαινόμενα mihi dicta clarè oſtendunt. Vt etiam libenter do illi, D. 81. maximam eſſe latitudinem ſymptomatum Epilepticorum: ita cupio mihi quoque dari, Ex uno flatu, vaporéve pendere omnia. Et quorſum alias confuſum illud chaos cauſarum re-

motarum cum propinquis? Imprimis *Humoris* cum *Vapore*, quos tam diligenter diſtinguit Gal? Et rurſus, inimicæ cerebro auræ cum qualitate? habetne qualitas vim agendi? Atqui Gal. etiam jungit? Loquitur ex ore Pelopis. Valet enim heic Lucretii illud,

Tangere, vel tangi, niſi corpus, nulla poteſt res,

§ 26. In numerandis convulſionis ſpeciebus. D.84. videtur alter eſſe Heraclitus. Quæ enim eſt illa, quæ in ſolis muſculis eſt, non affecto cerebro? An Cramſus noſter? Res incertiſſima! Quæ eſt illa, quæ per conſenſum fit, à ſolâ qualitate reali? Quid eſt *qualitas realis*? diſtincta à ſubſtantiâ halituoſâ, mordaci, putridâ? Reverà, ut calor ſolis non calefacit, ſed aër, à Sole calefactus: ita qualitas nulla facit morbum per conſenſum, niſi alteratis partibus continuis, velut Gal. loquitur, 3. Loc. aff. 7. Quodſi non ſemper addit, ſubintelligendum eſt. Quâ in re ne te fallere videar, hem tibi Eraſtum confitentem, D.86.87. & 88.

§ 27. Iamque tandem, poſt tot, tantaſque ambages, D. 90. comparet *Efficiens convulſionis*, contra quam Montanus lib. 3. cap. 31. non minus quam Salmo-

Salmonéus fulminat,ut videbimus. Nec eſt cur mireris, me tam animoſe loqui. Cum homine enim ἐσχάτως ἀτόπῳ non oportet timidè agere. Sed videamus. Ait Eraſtus ſe oſtendiſſe, Nervos per convulſiones obſtructos non eſſe: ſed virtutem movendi liberè deportare. Oſtenderis, ô vir magne: non eſt quæſtio de obſtructione nervorum, ad muſculos euntium, ſed de muſculis ipſis. Tum verò, ſi virtus movendi liberè it, cur non ſit motus liber? quo modo motus ſ. n. tam ſubitò fit p. n? quomodo contrarii effectus poſſunt habere idem nomen? ut motus voluntarius ſit motus convulſorius, & motus convulſorius ſit motus voluntarius? ut idem ſint habitus & privatio? lux & tenebræ?

§ 28. O, inquit D. 91. dicat tibi Gal. 2. Cauſ. ſym. 2. *Sive motus ſ.n. fiat trahentibus nervis muſculos ad ſua principia: ſive impletis muſculis ſpiritu animali: eodem modo & convulſiones fiunt.* Inſignis audaciane dicam, an malitia? Aut ipſe fuit cæcus, aut alios putavit cæcos eſſe. An tantum ſibi autoritatis acquiſiviſſe putavit, ut neminem futurum crederet, qui vel locum inſpiceret, vel nudè in conſiderationem vocaret? I. Nulla heic eſt aſſertio. II. Sit, & prævaleat modus poſte-

poſterior: ſenſus hic erit, Siquidem motus naturalis fit, impletis muſculis ſpiritu animali ita, ut rigeant, vectis adinſtar, 1. Sent. Hipp. 10. motus p. n. fiet, vapore quodam craſſo, ſpiritum animalem mentiente. III. Hanc in rem aſſertio Gal. pura eſt, non ibi tantum, mox pòſt allata verba, ſed & c. 1. Convulſionem eſſe de genere depravatorum motuum illorum, qui fiunt à ſolo morbo, nihil conferente, vel facultate, vel ſpiritu naturali, accepto vocabulo *Naturæ* eo modo, quo Gal. dicit. IV. Huc tam manifeſtè tendit D. 92. ſi abſque præjudicio legatur, ut verbis meis non ſit opus. Tu verò viden' ADRASTEAN?

§ 29. Propter hanc libet mihi paululum immorari, ut falſitas, ſi pote, in omnium oculis ſit. Vulgaris ſermo eſt, Contracto cerebro, tam validum eſſe motum, ut ſimul contrahantur muſculi. Hoc per rerum naturam fieri non poſſe cum Eraſtus ſciret (non enim cerebrum tam longè exporrigi poteſt, quam procul abeſt muſculus, quaſi manu attrahendus, ut leviter immutem verba ipſius D. 86) quid fecit? Quia, inquit, & nervus & muſculus liber eſt ab obſtructione, nec prohibetur effluvium ſpiritus è cerebro: ſpiritus ille ciet motus convulſorios.

Quis

Quis heic non obſtrupeſcat, quaſi viſo Gorgonis capite? Maximum poſtulatum eſt, tam nervum, quam muſculum habere ſe ſ. n. Multò maximum; motum p. n. ab omnibus dictum, ab ipſo etiam Eraſto, neſcio quâ metamorphoſi Ovidianâ, tranſire ſubitò in motum ſ. n; adeoque motum depravatum fieri naturalem. Venerit & hoc alicui in mentem, Si, ut loqui ſolemus, detentæ ſunt in Epilepſiâ facultates tam principes, quam miniſtræ, ob defectum (credo) ſpirituum: unde eſt ſpiritus ille motorius? Imo verò, cum idem nervus vehat & ſenſum & motum: cur motus adeſt, ſenſus abeſt? cur, diſcuſſo paroxyſmo, ſimul redit & ſenſus & motus? Venerit & hoc, Cum aura maligna à pede v.g. aſcendit ad cerebrum, & ſubito pereunt omnes ſenſus: quei manere poſſit ſolus motus, ſenſui tam conjunctus? Ex his, & forte aliis concluſerit aliquis, & detentionis ſenſuum, & motus hujus depravati, reddendam eſſe cauſam unicam, quâ poſitâ tollatur utrumque ſymptoma. Quæ illa verò alia ſit quam *Vapor*?

§ 30. Argumentum inſolubile D. 93. & 95. non ſine riſu intueor, quantumvis me reprimam. Tam enim manifeſtè eſt oppoſitum in adjecto, ut infans videat. Vt enim inane eſt, Eſt virgo corrupta,

ergò eſt virgo:ita inane eſt, Eſt actio animalis depravata,Ergo eſt actio animalis. Quare dico,Convulſio non eſt actio animalis,& fit ſine efficientiâ animæ,ab ſolo morbo. Et quidni fatear, convulſionem non eſſe operationem noſtram?Nec edi à ſolo inſtrumento,ſed cooperante morbo? O, inquit D.94. Res non agunt propter diſpoſitionem hanc, illamve: ſed agunt melius & deterius. Quid hoc eſt? Annon ſanitas eſt diſpoſitio ſ.n. & morbus p.n? Propter illam bona fit actio, propter hunc mala.

§ 31. Non diſſimilis eſt *ἀκυρολογία* D.95 c.um diſtinguit *actionem & actionis vitium* Differunt omninò, quia actio eſt ſanitas, vitium actionis eſt morbus. Si negas, dic mihi, Quod eſt vitium illud,à morbo diverſum?quę eſt modificatio illa, D.ead. Rurſus,quę eſt actio illa impropriè efficiens, differens à morbo? D.eadem.

§ 32. In D.96. manifeſtè laterem lavat. Rectè dicitur, Omnis cauſa lædit actionem,non ſine morbo: ſed non rectè infertur, Ergò cauſa quoque. Hæc cauſa facit morbum inſtrumentalem. Flatus enim ſeu vapor, ſpiritum animalem mentiens, deducit muſculos ad eum ſtatum, ad quam anima ſolebat.

§ 33. In D. 97. niſi abundat τὸ *Non*, ſenſus

ſenſus nullus eſt. Tum verò rectè dico, Motum convulſivum eſſe contrarium motui, qui per ſanitatem fit. Ita enim leg. eſt pro *Societatem*. Et qui ſunt Medici illi, qui motus convulſivos fieri volunt ab animâ non rectè agente? Quia nulli ſunt, qui unquam id auſi ſunt, rectè dico ego, *Omnes Medicos cauſam transferre, non in animam, ſed in diſpoſitionem inſtrumenti*, ut eſt in fine D.

§ 34. Sunt quidem hæ περιττολογίαι: ſed quæ ſequuntur multò graviores. Agam igitur ſtrictim. D. quidem 98. prorſus non intelligo: quam verò orditur telam D. 99. uſque ad 105. de duplici appetitu, rationali, & irrationali, à quo (irrationali) motus convulſivi fiant: non ſperem me intellecturum, niſi ab ipſo Eraſto redivivo. Stuporis mei cauſa eſt, ni fallor, quod rem non illuſtravit accommodatis exemplis. Ita loquor. Quæ enim, urgente Montano, in Anatome, f. 193. & ſeq. exempla numerat, accommodata non ſunt. Cupio enim audire ab ipſo, quam ſimilitudinem cum motibus convulſoriis habeant motus naturales illi, qui fiunt nobis non advertentibus, v. g. dum per ſomnum ambulamus, per deliria hæc vel illa loquimur, aut agimus? Fiunt enim omnia talia ſine moleſtiâ ullâ, muſ-

 culis

culis benè ſe habentibus:at heic quid fit? Nimis hoc notum eſt, & dixi ego ſuprà.

§ 35. Hucuſque provectus, cum quæro cohærentiam orationis, & nullam invenio: neſcio quò me vertam. Si divinationi locus eſt, ita putem, Eraſtum, de bonitate cauſæ deſperabundum, obdormiviſſe, & ſomniaſſe certitudines & demonſtrationes plurimas: Solemus enim plerique contraria ſomniare. Expergefactum per ἀνακεφαλαίωσιν collegiſſe primum κατορθώματα ſua: deinde conatum fuiſſe reſpondere dubitationibus. Quas dum inſpicio, tantum abeſſe video illum à triumpho, quantum Alexandri ara ab Herculis columnis. Quod ut clarius fiat, redigam illas in ordinem.

§ 36. Harum agmen ADRESTEA ducat,

Et tuba terrifico præcedat rauca fragore,

Subinde intercalante deâ ex D. 105. illa, *Hac unâ exceptâ, quæ à flatibus, confertim & ſubitò irrumpentibus, cietur.* Item illa, ex D. 124. *Si de eo ſpaſmo interpreteris, qui à flatu fit.* Item illa ex D. 39. *Talem ferè ſpaſmi eſſe deſcriptionem &c.* Hanc in rèm memineris eorum, quæ dicta ſunt ad D. 78.

§ 37. I. Dubitatio incipit D. 106. & pertin-

pertingit ad D. 127. tantis implicita importunitatibus, quantis dici non poteſt ab eo, qui rerum veſtigia ſumma ſequatur. Conſiſtit autem in eo, ut ſalvet theſin ſuam, *Motus convulſivos eſſe ab appetitu ſenſitivo, & fieri à ſpiritu animali, tanquam inſtrumento, perinde ac motus ſ.n.* A quâ aſſertione cum ſubitò reſulturum ſciret animum non planè ſtupidum: quid non molitur? Præcipuus obex heic eſt, Annon motus dicti fiant à facultate cerebri expultrice? Ab hac ita ſe expedit, ut D. 111. concedat, Epilepſiam per conſenſum, v. g. ex pede, fieri ab hac facultate, non à phantaſiâ: veruntamen non eſſe veram & propriè dictam Epilepſiam, D. 114. & 115. Miſerum effugium, quod in ſolo nomine ſpem ponit! Propterea non ſemel dixi, Quia ſymptomata utriuſque Epilepſiæ tam gemina ſunt, ut ſæpe â Medico diſcerni non poſſint: ſi concedatur unam eſſe ab expultrice, neceſſario concedendum eſſe, omnem inde eſſe. Nec quidquam valet, quod fine D. 115. aſpergitur ex Gal. ex 3. Loc. aff. 7. Epilepſias per conſenſum eſſe leviores. Multò minus valet καύχασμα illud D. 116. *Convelli hoc modo artis principia.* Quæ verò? inquam ego. *Indubitatæ veritatis axioma eſt,* ſcribit D. 117. &c. quibus ſimpliciter

oppono illa ib. *Differentia in eo eſt poſita &c.* Quo magis miror ἐπινίκιον illud D. 119. Maximè miror liberam confeſſionem, D. 121. conformem illi tergiverſationi inani, D. 114. quam maximo cum legentis faſtidio repetit D. 124. Hactenus ergò juvat me Eraſtus, quatenus concedit, aliquid p.n. eſſe in cerebro, quod inde expellatur in muſculos.

§ 38. II. Dubitatio incipit D. 127. & pertinet uſque ad D. 140. nec minus intricata eſt quam prior. Cum convulſio ſit ſymptoma in motu depravato, à quo morbo eſt? Et Eraſtus quidem ſubitò ſibi cavet, prætenſa negotii difficultate, inde uſque à Gal. deductâ, & felicioribus ingeniis commiſſa: in ipſa autem re nudior eſt leberide. Cum enim inſiſtit phantaſiæ ſuæ D. 128. riſum debet dupondiis noſtris. Cum D. 129. occentat nobis actiones vel purè ſimilares, vel purè inſtrumentales, vel miſtas: novitatis meritò arguitur. Cum D. 130. morbum inſtrumentalem agnoſcit, ſed ita ut ab intemperie etiam induci poſſit; confuſionis reus eſt. Quò magis probo illud, fine D. 131. nolle ſe progredi ulterius. eò vehementius deteſtor λαπίσματα D. ſeq. 6. Abjicio etiam obſcuram determinationem D. 138. *Convulſionem eſſe morbidam*

ſpirituum

ſpirituum & cerebri diſpoſitionem, à qua vitietur imaginatio cum appetitu. Dic mihi morbi nomen, & ſciam, quid facto opus ſit. Quam amicus mihi eſt ſpaſmus, D. 139: tam inimica eſt mihi vertigo, D. 140. Viden' tu nuditatem hominis? Ego paucis me expedio, Non eſt unus morbus, ſed triplex. I. eſt *Intemperies*, vaporis iſtius mater, in quacunque parte ſit. II. eſt *Obſtructio* in vaſis cerebri, vel omnibus, vel pleriſque, præſertim iis, quæ circa nervorum principium ſunt, III. eſt *Obſtructio* in muſculis à vapore huc tranſlato.

§ 39. Tertium locum occupent problemata, à D. 141. uſque ad finem, de quibus unicuique ſuum ſit arbitrium. Ad Medicum enim vix pertinent, Logica quippe. Ego verò me hinc abripio, cum hoc monito, *Magnæ felicitatis eſſe, à primâ ſtatim juventute incidere in tales magiſtros, qui ſine ambagibus Veritatem doceant.* Contrà, maximæ infelicitatis eſſe, incidere in eos, qui etiam admoniti abominentur Veritatem. Hanc in rem cum aliquammulta ſcripſerim Præf. in libb. de Vſu part. libet mihi nunc obſignare hac hiſtoriolâ. Lis erat inter duos ICtos Altorfinos, quorum nominibus parco, & erat major à minore in publicâ diſputatione eò redactus, ut non haberet amplius,

quod

quod diceret. Tamen in lectionibus poſteà multus fuit in tuendâ opinione ſuâ. Quæ cum detuliſſet auditorum quidam ad alterum, poſtquam legit, renidens dixit. Domine, percepiſtine mentem meam? Intelligiſne quid hic velit? Tuam, inquit ille, videor mihi bellè intelligere: hanc non poſſum. Benè, reſpondit doctor: Nam neque ego intelligo. Hoc igitur, addit, habeas tibi hodiè à me, ſæpenumero fieri, ut quò major quis eſt, eò major videri velit, adeoque Pythagoras quidam! Hoc ego accommodo nunc rebus noſtris. Eraſtus verè fuit vir magnus: ſed in hoc negotio haberi cum vellet pro aquila, habetur ſuo merito pro talpâ. Qua in re utar, cum bonorum veniâ, hac παῤῥησίᾳ, O juvenes, niſi temporis jacturam facere vultis, inſpectâ harum θέσεων inſcriptione, deponite. πάντα γὰρ μία κόνις. Hinc adeò fit, ut, qui defendere volunt phantaſticum hoc ſomnium, in multò tetriores labantur errores. Tu verò, ſi curæ tibi Veritas, ægrorumque ſalus eſt, accipe à me hæc pauca, per quæ reditum mihi paro ad Montanum.

De

De Convulſionibus, præcipuè Epilepſiâ, ſententia propria, CAP. IX.

§ 1. NIſi penitiſſime fallor, & mecum boni alii, quæ dicam & veterum autoritate fulta ſunt, & naturæ rerum conſentanea, ideoque praxi etiam viciniora. At quæ hic ſubjungam ἐλεγχτικὰ, eatenus grata ſpero futura, quatenus benè dictis amplior fides conciliatur. Quemadmodum enim in communi vitâ, non opus tantum eſt alimento, quo corpus ſuſtentatur, ſed & helleboro aliquando, ſcammonio, lathyride, & his talibus, quæ ſentinam corporis exhauriant: ita heic utrumque ſuum habet locum.

§ 2. Principiò, ſpero haud difficulter datum iri mihi à ſanis, quibus partibus benè ſe habentibus, bene fit motus voluntarius: iis malè ſe habentibus, aut non fieri, aut malè fieri motum hunc. Hujus enim poſterioris generis ſunt præſcripta ſymptomata.

§ 3 Deinde & hoc, Quo modo fit motus voluntarius: ei non valdè diſſimili fieri convulſivum. Hoc tamen obſervato diſcrimine. Vt motus ſ. n. fiat, neceſſe eſt partes omnes rectè ſe habere: ut motus p. n. ſatis eſt, ſi una illarum, pluresve vitientur

vitientur. Vt motus fiat, neceſſarium eſt I. Cor mittat ſurſum ad cerebrum ſpiritus *Vitales* dictos, & in quantitate, & in qualitate laudabiles. II. Cerebrum oportet ſpiritus hos refrigeret, non ſimpliciter ſed ſubſtantificè, ut jam *Animales* dici poſſint, rurſus & in quantitate, & in qualitate laudabiles. III. Spiritus hi ex cerebro per *Nervos* propriè dictos ire debent in *Muſculos* deferentes ſecum facultatem motricem. IV. *Spiritus* iidem, in Muſculorum ventres delati, debent illos duros & turgidos facere, inſtar ſacci frumento diſtenti, aut potius vectis inſtar, ut Gal. comparat. 1. Sent. Hipp. 10. Vt motus malè fiat (de hoc enim ſolo agimus) ſatis eſt ſi ſpiritui miſceatur *Vapor* quidam, undecunque ad principium nervorum delatus, qui per *Nervos* ad *Muſculos* deſcendens, faciat turgeſcere muſculos, & eo modo elevet, quo *Spiritus* elevabat.

§ 4. v. g. In Epilepſiâ (quæ jam ſola reſtat inter morbos formales Fernelii) in quâ omnia ſunt evidentiora, propter paroxyſmos crebrò repetentes, quid facit κλόνον illum, quem Græci vocant? Neque Cor, neque Cerebrum affecta eſſe extra paroxyſmum, oſtendit id, quod non tantum benè valent Epileptici: ſed &, quod plerique

plerique eorum ἀγχίνοοι ſunt, ut Hercules, Cæſar, Mahomet, Carolus V. Imp. alii innumeri. Vt propius accedam, etiam agili ſint corpore. Novi Patavii ſaltatorem, Zachariam nomine, qui in iſto exercitio præferebatur aliis. Sed & nemo in his *ſolidis* partibus quærit Epilepſiæ cauſam, ut neque in *Nervis* & *Muſculis*, Cur? Quia reddi ratio non poteſt, cur tam ſæpe repetat infortunium. Reſtat ergò, ut vel in *Humoribus* ſit, vel in *Spiritibus*, *Humores* quia planè abſolvit Gal. 2. Cauſ. ſym. 2. M. quâ de palpitatione relinquuntur *Spiritus*, vapore quodam inquinati, ceu dixi.

§ 5. In hujus rei demonſtratione fas eſt nos admirari ſolertiam antiquorum, ex φαινομένοις procedentium ad ἐναργῆ vocata, *ex ſenſu ad intellectum*. Quo verò modo? Cum in *Macrocoſmo*, dicebant, terræmotus fiant ἀπὸ τοῦ πνεύματος, *à ſpiritu, flatu, vapore*, potius *à ſpiritu flatuoſo, vaporoſove*: veriſimile eſt, convulſiones in *Microcoſmo* fieri eodem modo. Hæc ſententia eſt Ariſt. 2. Meteor. 8. & Gal. duobus locis, 2. Cauſ. ſym. 2. D. de Palp. & trem. ult. A. Quâ in re cum fatendum ſit, Galenum fuiſſe interpretem Ariſt. agè videamus preſſius. Inſtituit Gal. duas comparationes, valdè mihi favorabiles.

Primò

Primò enim confert motum naturalem cum motu præternaturali. Deinde ſpiritum naturalem cum p.n. & hoc vult dicere. Quâ ratione in motu naturali, muſculus, ſpiritu naturali plenus, rapit partem, cui inſeritur, verſus principium ſuum: eâ ratione in p.n. idem muſculus, ſpiritu quodam flatuoſo turgidus, trahit partem ſuam eodem. Illud egregiè explicat ſimile à vecti deſumtum, quo uti illum dixi. 1. Sent. Hipp. 10. C. Niſi fallor, eodem nos perducit, *κοιλία*, *venter* muſculi, ut pariter dixi. Hoc perſuadet analogia. Quemadmodum igitur in doctrinâ Gal. confeſſiſſimum eſt, ſpiritum naturalem, motus naturalis antorem, eſſe ex cerebro, adeoque cerebro non diſpenſante illum, non fieri motum ullum: ita dubium apud bonos, ſapienteſque non eſt ullum, ex eodem cerebro, licet aliunde receptum, eſſe ſpiritum illum flatuoſum, convulſionis autorem. Quin dicit Gal. ipſe 5. Aph. 5. ne alia loca cumulem.

§ 6. Hanc rem validiſſimâ demonſtratione conficit Cæſalp. 2. Quæſt. Med. 16. *Convulſio*, vult dicere; *ſit à corpore quodam. Corpus hoc non poteſt eſſe aliud, quam quod τάχιστα καὶ ἀθρόως agat, celerrimè, & cum impetu: quod idem ſit κινητικώτατον καὶ σφοδρότατον, vim habet agendi velociſsimam, ſimulque*

ſimulque vehementiſsimam. Tale in rerum naturâ nullum eſt, præterquam Spiritus, ſeu Vapor, ſeu Aër, quippe qui & arbores & domos ſubruit, adeoque terram ipſam concutit. Hoc ratiocinio ſæpe utebatur SCHERBIVS, & ita applicabat. Symptoma hoc non poteſt fieri niſi à morbo (non à facultate) qui eſt factum quid, cum convulſio ſit in fieri. Hujus morbi cauſa debet eſſe talis, ut ſubitò adſit & abſit. Neutrum hoc fieri poteſt, niſi à flatu. Hoc planè evincit Gal. * exemplo palpitationis, quam ob id ab humore eſſe negat. Perſuadet & ratio. Mortui enim rigerent: at verò ſubitò relaxantur, evaneſcente ſcil. corpore illo, quod tendebat.

§ 7. Hanc demonſtrationem ſi Gal. nôrat, ut nôrat: mireris, cur non ſtet in veſtigio? Qui allati ſunt duo loci, manifeſtâ in luce offerunt Veritatem, ab Ariſt. proditam. Iis verò locis, quibus defenſare vult *Repletionem* & *Inanitionem* Hipp. inclinat ſe ad ruinoſum parietem, Viciſſim iis, quibus Epilepſiam, deſertâ *Inanitione*, à ſolâ *Repletione ventriculorum cerebri* deducit, corruit cum pariete ſuo. Hic caſus ipſius tantò minus latere poteſt, quod, deſertâ Epilepſiâ per conſenſum, eam, quæ per eſſentiam fit, ſolam ab *Repletione* ventriculorum dictorum petit.

* *2 Cauſ. Sym. 2.*

Hæ

Hæ verò fluctuationes quid non portendunt? Accedit, quod neſciam, an cuiquam diligentiori perſuaſurus ſit, Epilepſiam, quæ ſymptomata affert tã ſibi vicina, eſſe à cauſis tam longè à ſe invicem diſtantibus? Accedit & hoc, quod Epilepſiam jungit cum Apoplexiâ. Cui enim vel leviter attento non ſit ſuſpecta res, duos morbos, diverſiſſimis comitatos ſymptomatis, eſſe ab eâdem cauſa? Obſtructione, inquam, ventriculorum cerebri?

§ 8. Quid igitur pro Gal. dicemus? Id, quod alias quoque, Morem ipſius eſſe, aliis quidem locis *Veritatem* profiteri: aliis autem *Communes ſententias*. Quia igitur duobus locis, de Cauſ. ſym. & de Palp. ex Ariſt. dixit, quod res eſt: quidni acceptemus? Quia aliis locis defenſionem Hipp. ſuſcepit, & ſtudiosè comſit: cauſæ non eſt, cur non deſeramus. Et hoc omninò honeſtius eſt, quam vel indignari, vel falſa defendere, cum detrimento ægrorum. Hoc exaudire volo illos, qui ſub nomine Gal. ſuperbire ſolent: non enim deterior eſt conditio mea, quam iſtorum, ſi omnino autoritatibus pugnamus.

Contra

Contra Semiobſtructionem Epilepticam, CAPVT X.

§ 1. INterim, quia ſecus viſum fuit Fernelio, & pendet ab illo totus chorus ſaltantium, & inter hos Montanus noſter: fas eſt ſequamur veſtigia illorum. Fernelii verba ſunt, 5. Pathol. 3. *Hæc tamen* (obſtructio) inquit, *non affatim, aut penitus obturat ſpirituum ductus: ſed ejus etiam nonnihil præterfluit, quo cerebrum concuſſione adnititur, quidquid noxium eſt, excutere:* In his qui non agnoſcit *Semiobſtructionem*, nemo unus eſt. Tamen idem. 2. Abd. 15. relictâ illâ, *Venenum* latè inducit, & Epilepſiam pro morbo formæ haberi vult. Pro cujus excuſatione niſi dici poteſt, Epilepſiam per eſſentiam retuliſſe ad obſtructionem, per conſenſum ad venenum: non habeo, quod dicam, amplius. Quidquid ſit:

§ 2. Apud Montanum tantum potuit *Semiobſtructio*, ut auſus fuerit transſcribere Gal, 3. Loc. aff. 7. Vbi cum non offenderet, credo, SENNERTVS olim noſter: exhibuit nobis alium, 5. Aph. 45. Verum ego neutrubi ullâ indagine ſubodorari poſſum, ut oſtendo in Patholog. cap. 122.

§ 3, Sine

§ 3. Sine igitur morâ ad Montanum cap.28. verſus, oſtendi mihi volo apud Gal. aut verba ipſa, aut rem non invitâ Minervâ expreſſam, *Obſtructio hæc integra non eſt, ſicuti in apoplexiâ, &c.* Mox adimo illi φαινόμενον, quo probare vult obſtructionem, *Pituita copioſa, per os, nareſque Epilepticorum excreta, ſtatim paroxyſmum ſolvit.* Non fit in omnibus. In quibus igitur non fit, quæ cauſa ſolutionis? Apud me vaporis defectus finem facit. Sed ſit. Pituita illa eſt ex ventriculis cerebri: verum illa non cauſavit obſtructionem illam, quæ cauſa fuit τȣ̃ κλόνȣ. Quod enim alibi quoque dixi, Quantumvis concutiatur, contrahaturque cerebrum, quis poſſit ſibi imaginari, contractionem illam ad muſculos uſque pertingere? vel ideò, quia falſum eſt, nervos trahere habenæ inſtar? Si cerebrum comparetur manui trahenti; muſculus equo tracto, quod eſt. 7. Vſ. p. 14. N. neceſſe eſt, cerebrum tantoperè cedere, quantopere manus ab equo retrorſum abit. At quod eſt ſpatium illud tam amplum, in quod ſe abſcondat? Sed & nervi non ſunt liberi, ut lorum habenæ eſt: quin firmiter alligati ſunt partibus illis, in quas mittunt propagines. Nec dicat mihi quis, comparationem eouſque extendi non debere. Debet omninò, ſi

effectus

effectus ſimilis ſperandus ſit. Quamobrem non oportet ſubſiſtere in motu illo naturali æquivoco: ſed inquirere in animalem ſeu univocum.

§ 4. Vt igitur ad rem veniamus, Montanus dicit cap.29. ſe ideò rejecturum Fernelii,2. Abd.15. argumenta, ut doctrina Gal. fiat illuſtrior; ea verò perſpicuè falſa eſt, ſi adſtringas cerebri ventriculis: videamus è longinquo, quo modo comatur, poliaturque hæc Phryne. I. Fernelii argumentum (quod Eraſtus etiam præponit aliis) eſt, *Si Epilepſia eſt à ſemiobſtructione ventriculorum, ut Apoplexia à totali: omnem Epilepſiam præcedet Apoplexia. Hoc verò refutat omnium ſeculorum experientia.* Reſpondet Comes; Non ſequitur. Si repentè irruat apoplexia, repentè etiam fit integra ventriculorum repletio. Miſerabilis reſponſio, quam ideò Eraſtus, Anat. p.189. variis incommodis urget. Quæ dum avertere vult Montanus in Ant-Eraſt f.124. b. ſe dignum facit, ut cum Eraſto loquar. Nituntur enim omnia falſæ hypotheſi, Apoplexiam fieri obſtructis ventriculis cerebri. Ego hæc addo. I. Fatuum eſt credere, hos tam diverſis comitatos ſymptomatis morbos, fieri ab unâ causâ. II. Futilis eſt hypotheſis, Ventriculos eſſe offi-

cinas ſpirituum. III. Stulta eſt opinio, In apoplexiâ ventriculos ita impleri, ut cerebrum ſe non poſſit contrahere: in epilepſiâ modicam eſſe impletionem, ut poſſit. IV. Imaginabilis eſt contractio tanta, cum fibræ transverſæ hîc nullæ ſint. *Imò verò eſſe heic tale quid, perſuadet paralyſis ſubſequens.* Eja verò, tum tu ipſe affirmes, ob copiam humorum non fieri compreſſionem? Sed parco.

§ 5. II. Argumentum petitur ab iis, quæ experientia Anatomica docuit. Hanc ille ſuperbè rejicit. Ego verò dicam, Fernelio non debere objici tantam turpitudinem, ut dicat ſe vidiſſe, quæ non vidit. * Humor enim ille putridus, tam intra cranium & duram matrem reſidens, quam in ipſa cerebri ſubſtantiâ collectus, potuit emittere de ſe vaporem talem, qualem volo ego: ventriculos replere non potuit. Fortaſſis dici poteſt, minimum, erraſſe Fernelium in plexibus retiformibus, in quibus pituitam ſe inveniſſe dixerit, cum glandulæ ſint, ut Bauh. & alii obſervant. Interim hoc ipſum impugnat ſemiobſtructionem. Nec quidquam agit Montanus cum ex lib. de Vſ. pulſ. 2. ſpirituum ſubminiſtrationem urget. Multò minus agit, cum Avicennam advocat, qui ſocius Gal. nunquam eſſe voluit.

* *Eraſtus p. 190. frigidum facit.*

voluit. Imò, ſum ejus opinionis, Arabem, cum de *Vaſis ad cerebrum* loquitur, intelligere *Venas jugulares* cum *Arteriis ſoporalibus*, quibus obſtructis apoplexiam etiam fieri, difficile probatu forte non eſt, ſi admittatur, Ventriculos eſſe officinas ſpirituum. Hanc autem ſignâſſe Gal. 2. Aph. 42. non credam, quandoquidem inſpectio loci ſatis convincit, Gal. apoplexias vocare in plurali, quæ in rei veritate gradus ſunt ejus ſolius, quæ à putatitiâ obſtructione ventriculorum fit. Interim, ſi Apoplexia illa ſanguinea, ut quidam vocant (hanc facilè probabo ex duobus Gal. locis, à Montano citatis, de Cur. per V. S. c. 9. 4. Loc. aff. 2.) fit ſine ventriculorum obſtructione, profectò ADRASTEAS hæc vox eſt. Quam cum contemnit frivolâ iſtâ excuſatione, *Satis eſt, ſi frequentius ſit ab obſtructione*; itemque ineptâ illâ diſtinctione, *Ea quæ per eſſentiam eſt, ſola eſt ab obſtructione:* profectò commiſeratione dignus eſt.

§ 6. III. Argumentum (ut ego diſpono) *Epilepſiam ab inunctione hydrargyri non admittere obſtructionem*, immobile eſt. Quam enim longè petita eſt frigida cerebri intemperies, ab hydrargyri frigiditate introducta? ut & compulſio excrementorum intrò ab ejuſdem frigido

temperamento? Vt jam dici poſſit, Fernelium quidem expugnaſſe ſemiobſtructionem : morbum autem formæ nondum condidiſſe. Sed & ubi venenum admiſſum fuerit, cauſa tantum erit, non morbus.

§ 7. Poſt Fernelium cum Rondeletio (quamvis is obſtructionem ſimpliciter neget) agit Mont. cap. 30. Locus eſt in Methodo lib. 1. c. 36. ult. mihi p. 162. Vbi hominis facilitatem maximoperè admiror, *Omnes concedent*, inquit, *ſpiritum transmeare ad partes cerebro ſubjectas, per quem motus celebratur reſpirationis.* * Omnes concedent, quod vident : at non omnes admittent cauſam à te, ô Montane, datam. Qui ſubitò credunt Galeno, ut tu, Reſpirationem eſſe actionem merè animalem : ii ſubitò etiam applaudent tibi. At, qui melius inſtituti ſunt, & ſciunt, eſſe actionem miſtam ex animali & naturali, illi dicent, ſupereſſe aliquid reſpirationis, ſed cum labore & ſtertore, quod non concurrat utraque cauſa. Quo modo? Ex cerebro ad muſculos thoracis nihil defluit : hinc tantum non immobiles ſunt. Ex corde proficiſcens ebullitio in

pulmo-

* *Objicit Eraſtus. p. 191. Apoplectici quidam ſubitò moriuntur. Videant boni, an tum non potius ſyncope cardiaca fuerit, quam Apoplexia?*

pulmones & arterias, ſupereſt: hinc aliqualis ſe oſtendit reſpiratio. Ex his intelligant εὐηθείαν ſuam, qui pro Eraſto velitantur, Si ad thoracem deſcendere poſſunt ſpiritus, poſſunt etiam ad alias partes, adeoque fieri κλόνος Epilepticus eo modo, quo Eraſtus vult. Quin imò ſciant tales, Lieblero non eſſe gratum hoc auxilium, quippe qui diſertè dicit, Anat. f. 190, Sine ſpiritu, ex cerebri ventriculis derivato, contingere. Quâ in re dum Galenum prætendit, & omnes ita ſentire affirmat, nimis liberalis eſt.

§ 8. I. Rondeletii argumentum eſt, *ſi craſſus & viſcidus humor ventriculos cerebri obſtrueret, ceſſaret motus omnis, ut in paralyſi, aut certè debilior fieret. Nunc tantum abeſt ut ceſſet, ut etiam validior fiat.* Non ceſſat, Montanus ait, quia non eſt integra obſtructio. Hem tibi! Dic mihi etiam, cur motus ſit vehementior, ut Eraſtus explicat Rond. mentem? Sed tranſeat: Si ſpiritus deſcendunt è cerebro, cur non ſentiunt Epileptici? imò impune ſecantur & uruntur? Non laborat αἴσθησις, ſed συναίσθησις, ſive ſenſus communis. Eleganter! Dico cum Eraſto, p. 191. Manet immotum hoc, ſi obſtructio in cerebri ventriculis fieret, pro ratione majoris aut minoris obſtructionis debi-

 litaretur

litaretur motus: non autem, vult dicere, augeretur. Intelliguntur autem hæc omnia cum limitatione, ſiquidem ventriculi ſunt ἐργαστήρια ſpiritus animalis.

§ 9. Cæterum, quia Montanus heic examinat ſententiam Eraſti tantoperè nobilitatam, *Cur in Epilepſiâ pereat & ſenſus, & motus?* fas eſt diligentius paulò conſideremus. Quod ad ſenſum, inquit, rectè fortaſſis ſic diſſeruit. *Fortaßis*, inquam ego. Cum enim ex propriâ oris confeſſione, detentæ ſint facultates, tam principes, quam miniſtræ: quis mihi perſuadeat, ſolum ſenſum tactus ſupereſſe? Cum (repeto) & viſus perierit, & auditus, & olfactus: quis mihi præſtet tactum, ſub quo guſtum comprehendo? *Atqui ſpiritus animales non deeſſe, oſtendit ſervata quoquo modo in talibus reſpiratio?* Iam ego dixi, Longè aliam cauſam eſſe reſpirationis ſervatæ. Hac admiſſâ, corruit altera illa ex toto. Ergò dici nullatenus poteſt, rectè aſſignatam fuiſſe cauſam ſervati ſenſus. Quid igitur de motu? *Cur motus fiat turpißimè labitur*, inquit. Cur? Cum motus non fiat, niſi præcedente cognitione vel intellectus vel ſenſus; neutrum verò horum adſit: quei dari heic poteſt ratio motus? Tum quid Eraſtus? In Anatome, p. 193. ut & in DD. confugit ad actiones

actiones eas, quæ fiunt à nobis non ſentientibus, v.g. cum ambulamus in ſomno, loquimur &c. Huic ego reſpondeo, quod ſuprà, Oſtendat mihi ſimilitudinem horum motuum cum motibus convulſivis, & fortaſſis credam. Quod enim Montanus ait in Ant-Eraſt. f. 126. a. Eraſtus non probavit, motus Epilepticos celebrari ab imaginatione, veriſſimè dictum eſt. Et cum hac atteſtatione abjicio & conſpuo omnia illa, quæ Eraſtus ſcripſit trecentis verſibus, ut Montanus numerat, à p. ſcilicet 192. ad. 210. ſimulque ea, quæ idem Montanus redhoſtiit, in Ant-Eraſt. à f. 124. b. ad f. 132. a. idque ob eam cauſam, ne boni, quibus tempo-ris theſaurus ære contrà charus eſt, cogantur ſubire moleſtiam illam legendi tot nugas.

§ 10. 11. Rondel. argumentum ab autoritate Gal 8. Vſ p. 6. pendet, *Naturam ideò purgaſſe cerebrum per infundibulum dictum, ne crebrà homo Apoplexiâ* (hanc enim in Codd. Gal. eſſe, non Epilepſiam, Montanus in Ant-Eraſt. f. 134. a. obſervat) *laboret. Hoc infundibulum, cum ventriculis continuum, patere in Epilepticis inde manifeſtum eſſe, quod ceſſante paroxyſmo, effluat pituita, Epilepſiæ cauſa.* Hoc argumento nihil excogitari poſſe ineptius,

 ait

ait Montanus, ineptus ipſe. Cur enim non directè reſpondet? imo concedit, Ex accidenti fieri? Quam verò ſuave eſt illud, Excuſſa poſt paroxyſmum excrementa, non eſſe ex ventriculis, ſed ex choanâ! Oportet valdè bonus Geometra fuerit, qui ventriculorum finem ab ipſis ventriculis tam cautè abſciderit! Sed & quâ ratione abſcidit, qui in veſtigio concedit, pituitam è ventriculis ſenſim extrudi, & deſinere paroxyſmum, non in inſtanti? De hoc argumento judicium Eraſti eſt p. 210. Neſcire ſe quam validum ſit. Mont. in Ant-Eraſt. f. 134. b. reſpondet, pro valido habuiſſe, cum probârit. Imò verò refutavit p. 211. cum negat ſemper effluere. *Quò igitur deponit*, vult dicere, *cum nihil notatu dignum effluit*? Refutavit quin etiam denuò p. 217. & 218. cum ipſi Montano oſtendit τὸ *Interdum*. Quo ipſo validè proſternitur *Semiobſtructio*.

§ II. III, Ejuſdem Rond. argumentum facit Montanus id, quod Rond. *de amplitudine ventriculorum* attulerat, ob quam proxyſmus nec facilè fiat, nec facilè ſolvatur. Hoc ille temerè prolatum eſſe ait. Si verè ita ſenſit, cur utitur τῷ *Puto*? Reverà, tota illa concameratio, quam in tot ventriculos ſecuerunt Ariſtotele poſteriores, in homine vivo latiſſima eſt,

&

& poteſt commodè inde argumentum capi contra ſemiobſtructionem illam. Quâ in re conſenſum habeo Eraſti, Anat. f.210. Et quid? Cum tot argumenta jubeant nos deſerere ventriculos, & venire ad corpus : quid temerè reluctamur? Sed & Galenum, ab Adraſteâ inductum, cò veniſſe, difficilè probatu non eſt.

§ 12. Poſt refutata, ut putat Montanus, Rond. argumenta de Obſtr. eodem c.30. f.142. accingit ſe examini ſententiæ Rondel. propriæ. Ea eſt, ut rectè proponit, *Convulſionem fieri à materiâ, non craſſâ, ſed tenui: eaque non obſtruente, ſed mordicante & vellicante cerebrum*. Heic cum videret conſtrictum ſe argumento Rond. ex 2. Cauſ. ſym.2. quà de Palpitatione, ſumto, nec non variis Epilepticorum hiſtoriis: oratoriè incipit prædicare mirum Gal. artificium in diverſo argumentandi modo. Quod illud verò eſt? Res ipſa quidem valdè tenebricoſa eſt: puto autem latére in illis verbis, *Gal. in palpitatione addit motum, qui motus potius quam ſubitus ortus & receſſus indicat palpitationem à flatu fieri.*

Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω;

Ex multis hoc unum, Eſt λογομαχία, in quâ explicandâ quis jubeat me immorari?

rari ? Interim hoc video, Galenum quidem hoc argumentandi genere prorſus confirmare ſententiam meam: Rondeletium autem tacitè ire in caſtra mea, dum in hiſtoriis allatis *fumos loquitur, auras, nidores, odores, ventos, vinum, iram* : imò *Vapores* quoque. Quid iſtud verò eſt? Nec Montanus longè abit à me, fatendo palpitationem fieri *à flatu craſſo*, qui exitum non habeat: nec Eraſtus, Anat. f. 208. cum ait, *Flatus craſſos palpitationem efficere, dum exitum quærunt, ut non coagant partes animatæ*, addit. A pari enim dicam, Eadem ratio Epilepſiæ eſt, ſiquidem non in ventriculis concludi dicamus vaporem, ſed in corpore cerebri, unde in muſculos proficiſcatur. Nec quidquam refert, ſi ventriculos illi nuſpiam dimittunt, cum nulla veriſimilitudo illos adjuvet. Multò minus, ſi Averroëm ex alto deſpicit, & Medicum ex libro vocat. Fortaſſis ne Comes quidem ipſe multò melior practicus fuit, ut § qui ruri degeret, & in opere ſuo exaſciando totos 25. annos inſumeret. Hoc non dico ideo, ut carpam illum, imitatione * Eraſti: quin laudo induſtriam elaborandi potius libros, quam properandi ad nundinas Francofurtenſes.

§ *In Ant-Eraſt. f. 97. a.*
* *In Anat. p. 102.*

furtenſes. Sed fuerit παρακλινικώτατος: annon duplici ipſe itinere huc tendit? Altero, cum ait, Si à flatibus fieri dicat Averroës, dandum hoc illi eſſe, quod in indicationibus non diſcrepet à Gal. Altero, cum concedit, Non omnem epilepſiam fieri ab obſtructione ventriculorum cerebri: ſed quandam à vaporibus, & eam quidem rarò. Voluntarium enim hoc totum eſt. Nec obſtat, quò minus dicam ego, Omnis epilepſia, & ſemper, fit à vaporibus. Et quid cogit nos ad amplexandam cauſarum varietatem, cum, ut non ſemel dixi, ſymptomata ſint eadem? Et hæc quidem ab Adraſtêâ certò ſunt: tu autem credas, Non ſatisfieri illi, ſi quoquo modo ad unam, alteramve quæſtionem reſpondeatur: oportet omnia omnibus conſentiant. Hoc demum infallibile Veritatis documentum eſt.

§ 13. Antequam hinc abeam, monendus eſt lector mihi, Rectè quidem Rondel. negare, humorem craſſum eſſe cauſam obſtructionis: ſed non rectè admittere tenuem. Nam ad hunc quoque extendit ſe vis demonſtrationis Galenicæ. An ſatis excuſavit ſe vocibus iis, quas collegi ſuprà? Sed & in duobus aliis errat, Non fit obſtructio in ventriculis: ſed in corpore cerebri. Præcedit quidem vel-

licatio expulſionem : ſed præcedit hanc obſtructio.

§ 14. Tandem Montanus, cap. 31. Eraſtum aggreditur. Vbi ante omnia videtur mihi conſultum, ut paulò latius declarem, quæ ſuprà § 3. & 9. leviter tetigi. Controverſia eſt, Quei fiat motus Epilepticus? Is, inquam, univocus, qui in muſculis eſt? diſtinctus ab æquivoco illo, qui in cerebro? Ait Eraſtus D. 91. *Fit ab ipſo ſpiritu animali, naturaliter ſe habente, & in ſubſtantiâ, & in quantitate: ſed inordinatè & tumultuoſe moto, quod facultas mandans ſit læſa, & confusè imperet omnibus muſculis, non diſtinctè his vel illis, quantum tendi, laxarive debeant.* Heic quis non obſtupeſcat ad rei novitatem! Vt enim Montanus f. 139. b. rectè ait, Implicat duplicem in Philoſophiâ contradictionem. Harum altera eſt, ſi facultas animalis imperat muſculis; imperium autem illud naſcitur ex appetitu: oportet ſana ſit facultas appetitrix. Tu verò ipſe, ô Eraſte, occupatam & vexatam eſſe adeò ſcribis, ut alterationem non percipiat, ſenſu vid. communi, ſeu συναισθήσει abolitâ. Quaſi vero, reddit Eraſtus, Anat. p. 193. Imaginatio ſeu appetitus ſenſitivus, non poſſit eſſe in officio, quieſcentibus ſenſibus! Vnde enim ſunt actiones illæ, quas in ſomno

ſomno edimus? quas per delirium? Iam dixi, Oſtendatur mihi ſimilitudo harum actionum cum motibus convulſivis, & credam, ſi libuerit. Altera eſt, ſi motus dicti ſunt à facultate mandante, erunt voluntarii; Atqui, de omnium conſenſu, ſunt involuntarii. Tum ille Anat. p. 197. Cum motus tantum ſint duplices, Naturales & Voluntarii; hi autem naturales non ſint: reſtat, ut ſint voluntarii. Heic quis tam compoſitæ mentis ſit, qui non rideat? Quod enim in Patholog. cap. 115. dixi, Abſurdum maximum eſt aſſeverare velle, actionem p. n. fieri ab eâdem cauſâ, à quâ actio ſ. n. fit. Annon ſequetur inde, Diſpoſitionem ſ. n. quæ ſanitas eſt, eſſe eandem cum diſpoſitione p. n. quæ morbus eſt? Ita ſanitas fiet morbus, & morbus ſanitas. Hoc verò annon ſubvertit fundamenta artis noſtræ? Sed agamus cominus.

§ 15. In primo argumento ita illum fluctuare, perquam mirum eſt! Verum eſt, neque in Apoplecticis, neque in Epilepticis unquam inventos fuiſſe ventriculos, vel ex toto, vel ex parte, pituitâ plenos: inveniri autem ferè ſemper ichoras cruentos paucos. Illi verò eò venerunt inter diſſecandum, inquit Montanus, h.e. Non fuerunt ibi, cum homo move-

retur, nec cauſa mortis fuerunt: ſed cum calvaria aperiretur ſerrâ & malleo, ſenſim collecti ibi ſunt. Quâ in re valdè illi conſentio. Hinc cadit etiam ſemiobſtructio, quam Montanus ex paucitate ichorum exſtruere conatur.

§ 16. Alterum argumentum, à ſternutatione ſumtum, non eſt ridiculum, ut Montanus putat, quatenus muſculi thoracis & abdominis concutiuntur ſimul cum capite, ut ego explicavi negotium alibi. Sed nec quod à ſingultu petitur, admirationem meretur. Eſt enim convulſio quædam, de Hipp. quoque ſenſu. Et eſt utrobique obſtructio, quatenus nervis impingitur ſpiritus quidam flatuoſus, qui & muſculos dictos, & ventriculum (qui ſi muſculus non eſt, à muſculorum tamen naturâ non longè abeſt, ut in Phyſiolog. probavi) loco movet.

§ 17. Litigium de ætatibus inane eſt, ſi ad obſtructiones ventriculorum cerebri referre voles. Laborant enim & Apoplexiâ ſenes, & Epileſiâ pueri, quatenus ſanguinei ſunt. Senes quidem illi, qui ὠμογέροντες dicuntur, & laxius vivunt, in quibus copiâ potius peccat ſanguinis, quam ullâ qualitate, quique (poſt mortem etiam) exprobrat Medicis αἱμοφόβοις timiditatem, effuſus per os, nareſ-

que. Pueri autem, puellæve ferè illæ, in quibus malitia ſuperat ætatem, ſigno evidentiſſimo, ſanguinem repere ad τὸ χολῶδες, & ἀγωγὴν deſiderare refrigeratoriam, & ſiccatoriam, ex aq. deſtill. alſines, dentariæ majoris, taraxici &c. cum pulv. March. fragm. pretioſis præp. &c. Et hæc eſt mala illa qualitas, quam Montanus confictam eſſe ait ab Eraſto. Quam ſi ad variolas & morbillos adſtringi patiatur, jam cum illo ſum.

§ 18. Heic animadverſione dignum eſt, Montanum, in reddendâ causâ, Apoplexiæ quidem in ſenibus, Epilepſiæ autem in pueris, vacillare non tantum, ſed & vinci ab Adraſtéâ, Cum enim f. 144. b. & iterum f. 145. b. corpus etiam cerebri affici ſcribit: utique dici de illo poteſt, quod de Gal. dixi. Quò fit, ut de ipſo Montano jactari poſſit dicterium, quod ille de hoſte ſuo, *Quidquid afferat contra Veritatem, ſemper illa emicat.*

§ 19. Sed cur ſub finem cap. ad Fernelium redit? Vt Colophonem imponat Epilepſiæ. *Si*, inquit, *omninò admittatur Epilepſia in cenſum morborum formalium: tamen venenum illud cauſa eſt, non morbus.* Quo loci ego. Si concedat, venenum illud, non cœleſte eſſe, ſed elementare, & quod agat totâ ſubſtantiâ: fore mihi affinem.

nem. Poſſis fortaſſis & *Corruptelam formæ* excuſare, ſi intelligas de *Cacochymiâ*, quæ jam διαφθορά καὶ σηπεδών quædam eſt, 3. Temp. 3. B. 2. Aph. 17. 3. Meth. 2. ut deduxi in Inſtit. lib. 3. ca. 7. Huc inducere poſſis Fernelium ideò, quia concedit, *auram illam*, quæ. 3. Loc. aff. 7. de pede ad caput ſubrepebat, habuiſſe formale quid. Alioquin, ſi, quoties ſupervenit paroxyſmus epilepticus, toties corrumpitur forma cerebri, totieſque reſtituitur: opus habebimus metempſychoſi Pythagoricâ, adeoque Lethæo flumine, è quo animæ

Securos latices & longa oblivia potent.

Replicæ Eraſti & Montani, CAP. XI.

§ 1. HEic quieſcere poteram, niſi promiſſa fides urgeret. Dabo igitur ἀξιομνημονευτὰ quædam, curioſulo alicui non ingrata. Horum primum eſto, contra primum Fern. argumentum, cap. ſup. § 4. ex Anat. p. 189. quod nunc ita formo. *Si ventriculi tam magni ſubitò, & in ictu oculi impleri debent, oportet pituita illa alibi collecta, & aſſervata, uno impetu irruat.* Vbi autem collectam fuiſſe dicemus? Non inter calvariam & duram matrem:

matrem : non inter duram & piam matrem:non in ipſo corpore cerebri: non in ventriculis. De primis duobus locis ut nemo cogitat: ita neque de duobus alteris auſit quiſquam cogitationes inſtituere. Non de corpore: In hoc enim genita excrementa, ſenſim & ſenſim vaporis fortè ſpecie, pelluntur in ventriculos. Non de ventriculis: ſunt enim pars recipiens, quod non poteſt non diſtinctum eſſe à mandante. Quod excrementa paulatinâ congeſtione in ventriculis acerventur, argumentum dat Eraſtus, Quia præcinguntur intus piâ matre, nec ulla vaſa magna oſculis ſuis hiant in illos: quin(quod ego addo) transverſim eunt, oculi indicio. Quid heic Montanus, in Defenſ. f. 124? Canit cuculi cantum. Sed ſint hæc omnia nihil: Falſa eſt hypotheſis, In ventriculis generari ſpiritus, ut alibi oſtendi. Falſo igitur poſſit quid veri ſuperſtrui? In his contrà Eraſtus ſtat recto talo.

§ 2. Stat etiam in proximo ſeq. argumento, ut ego nunc diſpono, Si *inter hos duos morbos differentia ea eſt, quæ dicitur, Epilepſia ſemper præcedet Apoplexiam.* Hoc verò nunquam eſt viſum: imò contrarium. Epileptici enim fiunt tandem Apoplectici. Huc immediatè cohæret

ret tertium; *Si Epilepſia eſt á ſemiobſtructione, pro obſtructionis magnitudine & parvitate, magis, minus debilitabitur motus; non autem violentior fiet*. Quid Montanus? Quod nunquam intelligere potui. Sunt, inquit, hi duo morbi ex eâdem cauſâ: ſed differt illa modo. Pax! In Defenſ. ineptè rhetoricatur.

§ 3. Cum Montanus probare vellet, In duobus his morbis non perire omnem motum, attulit reſpirationem, quæ apud ipſum, & Gal. procul dubio eſt animalis: reſpondet Eraſtus p. 191. non quæri heic de ſolis thoracis muſculis, ſed in univerſum de omnibus in toto corpore. Heic fatendum eſt, Eraſtum egregiè frigere. I. cum dicit, Peculiares ſuas cauſas habere, cur in his morbis ſola reſpiratio ſuperſit? At quæ ſunt illæ? *Pulcrum eſt*, inquit quidam, *quæ neſcias, alio devolvere*. II. cum paulò ſuperius inquit, *Si ſpiritus animales, aut facultates ſentiendi, movendique ſine ſpiritu &c.* Quid hoc, ô bone, quod uteris voculâ *Si*? Ego enim ſuggeram, Dic mihi, utrum velis, Fiuntne actiones à ſpiritu, tanquam inſtrumento corporeo: an potius, facultas ſola ſine corpore id agit? Ambiguum in his fuiſſe Gal. notum eſt: quid igitur illud eſt, *Vt ex Gal: ſententiâ ſentimus Omnes*? Quid ſentitis? Qui eſtis illi

illi *omnes?* Reverà apud Gal. actiones fiunt à ſpiritu : ἀρχαῖς, illius oppoſiti dogmatis uno,nì fallor,loco tantum meminit. An ita excuſare licet incommodum ſermonem? Vtro modo fiat,manet hoc , debilitatur ab obſtructione motus, non augetur.

§ 4. Friget verò vel maximè,ut ſuprà dixi ex p.193. cum Motus convulſorios tribuit ſpiritu animali. Non nego,iterum dicam, dari tales motus, qui fiant non advertentibus nobis:hoc nego,ullam habere illos affinitatem cum convulſoriis. Hoc ipſius frigus ex ſeq fiet manifeſtius.

§ 5. Calcitrat enim Eraſtus,Anat. p. 196. dum inquit, *Tria ſunt in nobis principia motus*, I. *Appetitus rationalis, ideò hominibus proprius, Voluntas dicta, quæ non fit ſine cognitione.* II. *Appetitus ſenſitivus,cum brutis nobis communis, Phantaſia ſeu Imaginatio vocata.* III. *Natura, ut quidem Gal. Stoicos imitatus, diſtinguit ab Animâ.* Mihi, inquit, neque de primo principio ſermo eſt, neque de ſecundo: ſed de intermedio.Montanus igitur,dum cogit me loqui de primo, putidulum σόφισμα in homonymiâ committit.Quis te cogit?mi homo. Qui probationem petit,ut Montanus facit,in Ant-Eraſt. quoque, f.196, nullâ vi utitur. Et hoc eſt,

quod

quod ego dixi nuper, Oſtende affinitatem horum motuum.

§ 6. Convictus ut puto, in animo Eraſtus inſtat p. 199. *Nulla*, inquit, *animati corporis actio, quæ ab eo, quatenus animatum eſt, editur, edi poteſt, nihil animâ conferente.* Hei mihi, ut aures dolent ad tam ſcelerata machinamenta! Refutat enim hoc totum reduplicatio Ariſt. ᾗ αὐτὰ, quatenus animales ſunt. At convulſorii non magis animales ſunt, quam terræmotus: fiunt enim utrique à vi externâ. At Gal. 1. Mot. muſc. 8. dicit, quod ego dico? Non dicit: loquitur enim de primo motus principio, de voluntate, de quâ tibi ſermonem eſſe negas. Tu verò non debes à Gal. exigere, quod tam diligenter cavet, cum alibi, tum 2. Cauſ. ſym. 2. ubi ait, * Convulſionem ducere muſculos ad eam diſpoſitionem, in quam, cum pro naturæ lege habebant, ab animali virtute, ut Int. loquitur. In his annon eſt manifeſta contradiſtinctio τοῦ σπασμοῦ, tanquam morbi, qui eſt παρὰ φύσιν, ab eo, quod eſt κατὰ φύσιν, δυνάμει ψυχικῇ? Hoc probo per obliquum ex eodem Eraſto, qui ait p. 205. *In muſculis, neque humorem eſſe, qui convulſionem faciat, neque flatum, &c.* De humore ut facilè conſentio: ita flatum eſſe in *Cramſo* noſtro, con-

* *9 Aph. 3.*

cedit

cedit ipſe, D.78. & aliis. Hinc argumentor, Quod eſt in infimo gradu,id in ſummo quoque eſt; Atqui in Cramſo ſtatus eſt. Scio, quid moliatur Montanus, f. 127. a. dum diſtinguit inter convulſionem, & motum convulſorium: ſed nihil moror.

§ 7. Victum fuiſſe τὸν ἔσω λόγον Eraſti, jam probo ex duabus vocibus, quibus utitur in diſcurſu, *Propriè* & *Abſolutè*. Hæ enim arguunt,litem illi eſſe de nomine. Huc me ducunt verba quoque illa, p. 203. *Differunt movere & contrahere muſculos*, &c. Ita enim debebat loqui, Differunt, moveri muſculos ſ.n. quæ ſanitas eſt: & moveri p.n.quæ morbus eſt. Et hoc ipſum dicit in veſtigio, Motus cauſa eſt anima cum muſculo: vitii cauſa eſt morbus.

§ 8. Victoriam eandem ſpondet mihi; quod p. 204. arripit inanem, & in * Montano jam damnatam diſtinctionem inter convulſionem & motum convulſorium, idque ideò, ut declinet autotoritatem Gal.2. Cauſ. ſym.1. dicentis, *Convulſionem eſſe à ſolo morbo*. Reverà, eſt hæc diſtinctio eadem cum illa, Convulſio alia eſt legitima, alia ſpuria.Scio ego, quid differat σπασμὸς καὶ κλόνος: neſcio, quid ſit illud,quod facit, ut σπασμὸς ſit legitimus

* *Vide Epiſt.12.f.34.a.*

legitimus filius, κλόνος ſpurius. Ille conſtituit perpetuam convulſionem, hic interpolatam. Quo graviores ſunt febres continuæ intermittentibus: eò ſpaſmus eſt gravior κλόνῳ. Atque ut operam luderet, qui febres intermittentes vocaret ſpurias: ita heic mera eſt novitas, ingrata bonis, quia inutilis.

§ 9. Quod verò promittit ſe dicturum de loco illo. 2. Cauſ. ſym. 1. & facit p. 205. quale eſt? A facultate animali, cujus ſymptomata ſunt tàm convulſiones, quam motus convulſorii, tranſilit ad naturalem. Non negatur, Cerebrum, à vapore illo irritatum, expellere ad muſculos: hoc verò facultatis cerebri expultricis eſt, quæ tot miliaribus diſtat ab animali, è cerebro in partes diſtributâ, de quâ pugnat homo, quot dici non poſſunt. Nimirum morbus morbum parit, & quæſtio heic eſt de proximo. Vt enim alibi dixi, Intemperies gignit vaporem: vapor, in cerebrum receptus, ope expultricis ejuſdem, pellitur in muſculos: muſculi, ab illo contracti, non amplius ſub facultate naturali ſunt, ſed animali. Hanc ſcalam quia non ſemper præ oculis habemus, dicimus aliquando, convulſiones eſſe cerebri affectus, omiſſis muſculis, qui immediatum ſunt motus inſtrumentum.

Ex

Ex hoc fundamento ſumitur excuſatio Gal. qui. 1.Cauſ. ſym. ult. Epilepſiam dicit eſſe affectum cerebri. Hoc cum ad motus vitioſos adſtrinxiſſet Eraſtus, p. 205. & verò animadverteret poſteà, quantopere obſtet conatibus ipſius: juſſit delere in Erratis. Et alioquin obſcurum non eſt, quam difficulter expediant ſe illi, qui in motu cerebri pedem figunt. Quâ enim manu contingit cerebrum muſculos? Per nervos fortè? Hoc ipſimet negant.

§ 10. Ex his duo intelliguntur. Alterum, verè dixiſſe Galenum, Convulſionem eſſe à morbo ſolo, ſiquidem ſubjectum adæquatum inſpicias. Alterum, Montanum quidem à contradictoriis liberum eſſe: Eraſtum autem confuſionis reum. A qua nunquam ſe liberabit, ſi dixerit p.206. Galenum latè accipere vocabulum *Naturæ*. Multò minus locum in de Cauſ. ſym. conciliabit cũ altero, 3. Loc. aff. 7. allatâ frivolâ illâ diſtinctione, in convulſionem propriè & impropriè dictam. Hæc eſt defenſio Gal. *Non ſemper ille deſcendit ad muſculos.*

§ 11. Hinc lumen accipiunt illa p. 207. Objicit Montano, Si Epilepſia non eſt à ſolo morbo, ſed concurrit vis cerebri, inſcitè contra nos diſputat. Concurrit vis

cerebri

cerebri expultrix naturalis, ut cauſa remota: non concurrit vis animalis, quæ cauſa eſt propinqua, quam Eraſtus venatur. Ex his patet, quatenus verum ſit, quod l.3: c.30. Montanus ait, *Certo certius eſſe, in epilepſiâ concuſſionem illam ex cerebro eſſe*. Concuſſio enim illa, (ſiquidem ita vocari poteſt conatus Naturæ expellentis) eſt cauſa remota. Et hoc eſt, quod contra Gabucinum dicitur ibidem, Putaſſe, nullum alium in epilepſiâ motum eſſe quam contractionem cerebri, eamque à naturâ, non à morbo factam. Imò eſt alius quoque, Muſculorum ſc. qui eſt à morbo. Quo minus opus eſt obſcuro illo Eraſti patrocinio, *Contractio cerebri non eſt depravatus ille motus membrorum: imò verò naſcitur ab eâ*. Hoc enim debebat velle, In ordine cauſarum, contractio quidem cerebri prior eſt contractione muſculorum: differunt autem, quod cerebri motus eſt naturalis, muſculorum animalis, ſed depravatus.

§ 12. Ex quo veſtigio antequam abeam, monere placuit, Muſculorum thoracis in Epilepſiâ, ut in Apoplexiâ quoque, aliam eſſe conditionem, quam reliquorum omnium. Thoracis enim aliquomodo moventur naturaliter, coacti quippe à naturâ aut, ſi diſtinctius loqui me vis, ab ebulliente

ebulliente in corde calore : reliquis nihil ſupereſſe. Hoc probo ex reſpiratione Hippocrati dictâ ſublimi, Galeno coactâ, cum inſigne in corde incendium cogit hominem ad extremam thoracis dilatationem. Hinc occaſionem ſumo, explicandi fictitiam Gal. contradiſtinctionem, de difficultate reſpirationis in Epilepſiâ, de quâ Montanus multa ex Gabucino. Sufficit hoc unum, Gal. 4. Loc. aff. 2. neutiquam dicit, In Epilepſiâ ſalvam eſſe reſpirationem : ſed neque per rerum naturam dicere potuit.

§ 13. Diffiſus, credo, cauſæ ſuæ Eraſtus, p. 208. orditur novam telam, ut probet (ſi ullo modo poſſit) motum muſculorum depravatum in epilepſiâ, tamen ſimul eſſe naturalem. Eho dum, inquis, ratióne abſurditatis pervenit? Pervenit certè. Actiones animales, inquit, aut propriè ita dicuntur, aut impropriè. Tu verò, qui hæc legis, ſtatim cogita, Labi negotium ad quæſtionem quid nominis. Sed audiamus, ne inſontem damnare videamur. Illas, addit, Montanus vult, has ego. [k] Sunt autem illæ, quæ eduntur à partibus corporis noſtri, quatenus animâ informatæ ſunt. Heic enim anima quidem

iils ni [illegible] G [illegible] agit:

[k] *Vide, ſis, quam miſerè ſe torqueat in Epiſt. pro nuper in margine laudatâ!*

agit: partes autem ſunt inſtrumentum, quo agit illa. Exemplo ſint flatus, qui palpitationem excitant in muſculis. Flatus ita heic agunt, ut anima non coagat. Ita purgans medicamentum movet corpus, animâ ſeu facultate motrice quieſcente. Propterea, in palpitatione, pharmacove purgante qui motus eſt, non rectè dicitur animalis. Viden' tu *&* *Rectè*? Sed ſit, quis Sabinorum unquam hoc ſomniavit? Animalis enim tum dicitur, cum ab animâ, ſi ita vis, à liberâ voluntate editur. Sit verò hoc quoque: da mihi exempla tuorum motuum, qui quadrent ad motus epilepticos? Palpitatio certè, & purgantis medicamenti actio, tantum abſunt à diſtinctione propoſitâ, quantum ſententia mea à tuâ: imò verò confirmant meam, quatenus fiunt ab externo aliquo, quod vim facit inſtrumento corporeo, animâ nihil agente. Hoc ita accommodo. Quemadmodum flatus facit palpitationem vi propriâ, poſtquam, ut puto, receptus eſt intra membranam muſculi, & muſculum ipſum, non coagente animâ: ita flatus, in ipſum muſculi corpus ſeu ventrem adactus, facit motum epilepticum, otioſâ animâ. Hoc quia acceptat Eraſtus in Cramſo: oportet acceptet in aliis convulſionibus quoque, quippe quæ differunt

runt inter ſe tantum τῷ μᾶλλον καὶ ἧττον. Atqui, nec palpitatio, nec ſpaſmus fit, niſi in corpore vivo? Si hoc vult Eraſtus, quovis hoſpitâ pejor eſt, & indignus, cum quo verbum commutem. Melius igitur ſperemus de tanto viro, & cogitemus penſiculatius, quid potuerit velle? Quærat hoc alius, me ſagacior. Ego enim, poſt cogitationes varias, vario tempore inſtituras, mecum & cum amicis, manè, meridiè, veſperi, mediâ nocte, poſt ſurſum, deorſumque verſum Eraſtum: nihil aliud exputare poſſum.

§ 14. Hac in re μετέωρον më habet futilitas rationum: imò λογομαχίαι ſunt. *Aut contrarius eſt*, inquit extr. p. 208. *motui ſanorum, aut non.* Eſt contrarius, dico, quo modo ſanitas & morbus ſunt contraria. *Ergò, motus epilepticus non fit ſine animæ ſubſidio.* Papæ! Vnde eſt τὸ *Ergò*? Imò, quæ eſt ratio conſequentiæ? *Bona etenim & mala actio*, inquit, *neceſſariò ſunt ab eâdem parte, eademque facultate.* Aufer mihi *Facultatem.* Fitne morbus à facultate? quatenus morbus opponitur ſanitati? In eadem parte eſſe neceſſe eſt, alioquî contrarietas nulla eſſet: ab eadem facultate eſſe, quis auſit dicere? Quin ſoli parti, ſeu inſtrumento, ipſe diſertè transſcribit, Epiſt. 15. f. 44. b. Et quid excurro? In

hoc ipſo gradu transſcribit, cum ait p. 209. *Contrariæ cauſæ circa idem ſubjectum verſantur:* non auſus jungere facultatem præ pudore. Quod tantò facilius creditu mihi eſt, quo verius eſt, actiones quaſdam non eſſe ab ullâ facultate, ut ipſummet docentem audivimus. Pergit, *Hæc autem ſunt ſanitas & morbus.* An *Hæ* voluit ſcribere? Non enim alio referri poteſt quam ad cauſas. Tum verò impropriiſſima locutio eſt, & quæ fraudem redolet. Sanæ enim & morboſæ partes ſunt ſubjectum. Fraus eſt, ut dicere poſſit, *ſanitatem & morbum eſſe diſpoſitiones, quæ non agunt, ſed modificant actiones.* Quam verò hic ſermo Medico indignus eſt! Qui enim benè inſtitutus eſt, ſic loquitur, Sanitas eſt diſpoſitio talis, per quam benè agimus: morbus eſt talis, per quam malè. Hic modus in arte noſtrâ tam latam conſtituit differentiam, ut contrariæ dicantur actiones, quarum altera ſ. n. ſit, altera p.n. Quare, illa quidem fit, & inſtrumento & facultate benè ſe habente: hæc, vel alterutro deficiente, vel utroque. Ex his intelligas licet, quam verè abſurdum ſit, quod aliis objicit abſurdum, Fore, ut ſanitas conſtet ſine animâ, adeoque anima non ſit cauſa efficiens actionum ſ.n. Intelligas etiam, Partes non fieri morborum inſtrumen-

ta,

ta, niſi confundere quis velit agens cum patiente. Verum, jam me diſpudet περθρευμάτων, fortè potius λαπισμάτων.

§ 15. Interim nec diſſimulare debeo rectè facta viri. Non enim injuria urget argumentum ſuum, p. 210, contra ſemiobſtructionem, Nec poſſe ventriculos totos ſubitò impleri, quin præcedat epilepſia: nec poſſe ſubitò depleri, quin ſequatur. Imò, ex ſup. p. 189. & 190. poſſis etiam paralyſin metuere. Et quid? Auſitne quis (liceat mihi repetere toties dictum) affirmare, hos duos morbos, tam diverſis ſtipatos ſymptomatis, eſſe ab eâdem cauſa, magnitudine differente? Non injuria etiam defendit Averroëm, contra quem nihil ſolidi attuliſſe Montanum, rectiſſimè ait. Vellem fuiſſe auſum hoc quoque, ut, damnatâ repletione Galenicâ, ſummam rei detuliſſet ad *Fumos*, ſeu *Vapores* Averrois. Tantò magis, quod p. 212. ex 3. Loc. aff. 7. concludit, Omnem epilepſiam fieri eodem modo, à re videlicet acri, ut non ita pridem ego etiam concluſi, &, quatenus verum ſit, oſtēdi. Per quæ ipſa exponi cupio illa, p. 213. Rejiciendam quidem eſſe ſemiobſtructionem, quod obſtent illi inſolubilia argumenta: amplexandam contrà eſſe, in

omni epilepſiâ, acrimoniam ſtimulantem. Putà, ſi detur, ſtimulum illum naturalem deſinere in noxam animalem. Hoc velle debent fumi Eraſti, qui idem ſemper agunt, &c. Atque hi fumi conſtituunt tertiam Epilepſiæ ſpeciem apud Gal. in de Loc. aff. quam non ſemper mitiorem eſſe illâ, quæ per eſſentiam à repletione, ut Gal. vult, & dixi ego ſuprà, & confirmat hoc ipſo loco Eraſtus.

§ 16. Cur Avicenna (p. 213. ext.) Epilepſiæ parvæ comparâvit ſternutamentum, non longè quærenda eſt ratio. Quemadmodum ſternutamentum conſtat duplici motu, *Naturali*, qui eſt cerebri expellentis, & *Animali*, qui eſt thoracis concuſſi: ita epilepſia duplicem habet motum, &c. Quare ſi Eraſtus Galenum & Thaddæum ſibi amicos depoſcit, oportet admittat παραμυθίαν dictam, Irritationem inquam, cerebri jungat cum convulſione muſculorum. Ita cur (114.) Hipp. & Gal. ſingultum convulſioni affinem fecerint, in promtu cauſa eſt, Similitudo motus in excutiendâ noxâ. Vertiginem qui elegantes Medici compararint Epilepſiæ, haud ſcio. Eſt enim ſola imaginatio læſa in vertigine, & ob id deliriis vicinior. Interim rectè Eraſtus, Illuſtrant hæc rem, non probant.

§ 17. Epi-

§ 17. Epilepſiam ſimpliciter ſeparari ab obſtructione, non feram. Non eſt obſtructio ventriculorum cerebri ab humoribus vel craſſis vel tenuibus : ſed eſt obſtructio corporis cerebri, præcipuè, quâ principium nervorum eſt, à vaporibus craſſis, ſpiritus animales mentientibus. Hi vapores dum per nervos deorſum labuntur in muſculos, cauſantur aliam obſtructionem, ut jam toties dixi.

§ 18. A ſenibus ductum argumentum, ἄτοπον eſt. Nam quantum humores frigidi, craſſi, crudi abſunt ab epilepſiâ cauſandâ: tantum ſenes ab epilepſiâ. Ideò παιδικὸν πάθος dicebatur à priſcis. Quo ipſo Montanus tacitè accuſatur, cum Apoplexiam in pueris non rarò ſe vidiſſe ait. Fuit ſyncope cardiaca, quæ ſi jumentis contingat, dicunt, das Blut hats erſticket. Hæc ſi accidat ὠμογέρουσι quibuſdam, ſubitò moriuntur ſine ullo ſtertore, ut jam ſuprà indicavi. His ipſis ὠμογέρουσι tantum, non autem indiſtinctè omnibus ſenibus accidit apoplexia, qui etiam ut plurimum (præſertim, ſi venæ ſectio, vel intermiſſa ſit, vel timidius adminiſtrata) mortui jam, pipulo differunt ignavos noſtros Medicos, qui venæ ſectionis terminum ſtatuunt annum 60. Non qui anni ſint, videndum eſt, inquit Celſus, ſed

quæ vires ſuperſint. Eadem catarrhorum ſuffocativorum ratio eſt. Sed hæc aliena ſunt:

§ 19. Pueros eſſe Epilepticos, non ob redundantiam crudorum & craſſorum humorum, ſed ob malam qualitatem, veriſſimum eſt: ſi modò qualitatem illam rectè accipias. Non enim ſine corpore eſt. Vno verbo, Vapor eſt, ad bilis naturam tendens. Ideò curatur eo modo, quo dixi. Abſque corpore ſi capiatur, dici rectè poteſt fictam eſſe, & nullâ ratione fultam. Cum corpore fas eſt & *Malignitatem* conſiderare, quæ in pueris *Variolas* & *Morbillos* producit. Hanc per d. morbos vacuari integrè, facilè credo: non obſtat tamen, quò minus ex aliis cauſis maligni creantur vapores, qui quaſi recidivam faciant. Hos vapores ſemper eſſe acres & mordaces, contrà Eraſtum contendero. Indicibilis enim illa, & à totâ ſubſtantiâ putredo, ſine acri calore non fit, præſertim, quia frigus poſitivum heic non eſt. Hujus caloris gradum quia neſcimus, putredinis etiam gradus meritò ignotus eſſe dicitur. In hoc calore potius quam in redundantiâ cauſam mutatæ Epilepſiæ, 5. Aph. 7. colloco. Curatur, inquam, quædam Epilepſia ratione ætatis, non quia redundantia

non

non adſit: ſed quia calor, corruptionis cauſa, abeſt. Vt hactenus rectè dixerit Eraſtus, Galenum ex hypotheſi potius, quam ex rei veritate locutum eſſe.

§ 20. De ſpumâ Epilepticorum (p. 212) conſentio Eraſto, materiam illius non eſſe humorem morbificum, è pulmone elatum, quod Montanus vult: ſed ſalivam, ut prædixi. In tantâ enim reſpirationis difficultate, aëri reciprocanti miſcetur aliquid ſalivæ, & fit ſpuma. Interim, non ſemper fieri, verum eſt. Et ita quidem finem ſuum adepta eſt Epilepſia: ego verò etiam aliam ſarcinam impono meis humeris, ut theoria hujus morbi fiat quam lucidiſſima, hoc ſumto orationis initio.

Spicilegia Epileptica, CAP. XII.

§ 1. EOrum, qui in re literariâ verſantur, triplex eſt ordo, quantum hucuſque comperi. Rari quidam ſunt, qui & rectè inſtituti ſunt ab adoleſcentiâ, & Veritatis ſtudioſi, ſolicito, & tantum non ſuſpenſo pede inquirunt illam, tam apud antiquos, quam apud noſtros, πάντα ἐξιχνιάζοντες, ut Græcus aliquis loqueretur,

Nullius aſſueti jurare in verba magiſtri.

§ 2. Plures contrà ſunt, qui Philoſophiæ ſcientiâ tumidi, cæterum, vel divitiis, vel voluptatibus deditiquærunt ſibi nomen, theatrali quadam licentiâ fingentes quidvis, Heroſtrati inglorium facinus æmulantur.

§ 3. Qui inter hos medii ſunt, Vulcani τοῦ ἀμφιγυήεντος inſtar, claudicantes, lapſanteſque modò in hanc, modò in illam partem, ob partim judicii infirmitatem, partim ob ignaviam, nullibi ſunt firmi.

§ 4. Hujus rei illuſtre exemplum dabo heic. De Epilepſiâ ſcimus votum fuiſſe magni Cratonis, *Vtinam antè abitum meum, videam eſſentiam hujus morbi, unà cum curatione rectè explicatam!* Niſi fallor, res tam difficilis non eſt, ſi vel Ariſt. conſulamus, vel Gal. ſuis locis. At verò quia nimis addicti ſumus Fernelio, Fuchſio, aliiſque, qui ſepiæ atramentum in vulgus ſpargunt, manſit res indiſcuſſa.

§ 5. Ego verò veritati quaſi vexillum erecturus, primum omnium heic dilucidè, & paucis explicabo rem ipſam, (δὶς γὰρ καὶ τρὶς τὰ καλά) Deinde volitantes circa hanc lucernam muſcas captabo, ne ſimplicioribus amplius moleſtæ ſint.

§ 6. Quod ad primum, dixi ſuprà, Triplicem heic concurrere morbum, Intemperiem,

temperiem, & duplicem duobus locis Obſtructionem. *Intemperies* eſt, vel in ipſo capite, vel in parte quadam inferiori. In capite, dico, comprehendens eâ voce quamvis ejus partem, excepto nervorum principio. Et hoc ideò, ut ratio reddi poſſit paroxyſmorum. Hoc præcipuè notent illi, qui morbum per eſſentiam diſtinguunt à morbo per conſenſum. Sed qualis eſt Intemperies? Modò calida: modò, non calida, non frigida, non ulla ex manifeſtis; ſed totâ ſubſtantiâ.

§ 7. Ab hac Intemperie genitus *Vapor* quidam, vel *Aura*, vel *Flatus*, vel *Spiritus*, vel quomodocunque appellare libeat, totâ ferè ſubſtantiâ nervis inimicus, certis temporum intervallis, ad principium illorum delatus, *obſtruit* illos. Irritatum ab hoc vapore cerebrum, expellit illum per nervos in muſculos. Vltra hos cum ire non poſſit, facit in illis obſtructionem alteram, quam dum ſolvere properat Natura, fit *Convulſio*.

§ 8. Tu verò hoc ſcito, quod multos fallit, Cerebrum expellit motu æquivoco & inſenſili, uno verbo, *Naturali*. Muſculi expellunt univoco, ſeu *Animali*. Qui primo ſoli ſe applicant, non poſſunt cauſam τȣ̃ κλόνȣ afferre. Qui conglutinant alterum cum primo, ἁμαϱτάνȣσι

τῆς θύρας, & ſe alioſque fallunt.

§ 9. Heic quivis videt, quanti referat neglecta ab initio *Intemperies*, & ad cognitionem & ad curationem. Quod ad illam, cum tot locis poſſit latére, quis ſibi ſpondeat ſe facilè inventurum? Quod ad hanc, quæ cinnabaris, quod magiſterium vitrioli, quæ alia compoſitio Chymica, indiſtinctè uſurpata, poſſit tibi promittere certum eventum? Et hæc quidem de primo mihi propoſito: venio ad alterum.

§ 10. Heic in primâ acie colloco ERASTVM, 4. Anti-Paracelſ. f. 162. Is primum negat, Morbum illum habere nomen, à quo ſymtoma hujus motus depravati pendeat. Non enim omnibus rebus data ſunt nomina, inquit v. g. Quis eſt morbus, qui ſternutationem facit, qui ſingultum? Et addit, Quicunque ille ſit, eſſe in ventriculis cerebri, in quibus concluſus vapor, vel mordax, vel aliter naturæ inimicus, & peregrinus, ita irritet cerebrum, ut de exturbando illo non minus ſollicitum ſit, quam in ſingultu os ventriculi in expellendo, quod moleſtum eſt. Hæc ille:

§ 11. Quæ intuens quis mirabitur, tam propè ad rem acceſſiſſe magnum hunc virum! Certè agnoſcit veram cauſam proximam, *Vaporem*, ſi modò agnoſſe etiam

etiam voluiſſet verum locum affectum, *Corpus*, inquam, potius cerebri, quam *ventriculos*. Ex corpore enim cum ſit via in muſculos; ex ventriculis cum non ſit: quid ambigebat? Studium illud Cerebri in exturbando vapore adverſo, quin concuſſio illa, quid aliud eſt quam irritatio expultricis cerebri, quam ego urgeo? Vapor ille quà exire poteſt, quam per nervos, qui ſunt apud Gal. cerebrum πεπλημένον? Idem vapor cum mentiatur ſpiritum animalem, quei non contrahat muſculos eo modo, quo ſpiritus animalis ſolet?

§ 12. Sed demus hoc humanitati. Si paulò diligentius inquiramus in morbum tam ſternutationis, quam ſingultus, inveniemus, Galeno ſatis cognitum fuiſſe, *Eſt morbus in ſuperficie*. Vide Patholog. c. 191. & ſeq. Quo loco commodum incidit mihi, Cum heic quoque ſit duplex irritatio, in cerebro altera, in muſculis altera; annon tribus dictis morbis addendi ſint hi duo, ut numerus fiat quinarius? Non debent: quia non lædunt peculiarem actionem. Imò verò ſunt actiones, non ſymptomata. Iamque ſtabilio ſententiam meam ex 5. Aph. 5. ubi hæc ſunt verba: *Non poteſt fieri convulſio corporis, niſi principium nervorum afficiatur*. Affe-

ctio alia cum non ſit, quam transmiſſio corporis alicujus tenuis, quod per nervos muſculis communicetur : apparet, quod dico.

§ 13. Eraſto PLATERVS jungatur vel ideò quia in motu defendit eandem abſurditatem, quod video paucis notum eſſe. Locus eſt Prax.tract.1. mihi f.33. Ad cujus lectionem cum ſatis diu me præparaſſem, nec non tempus captaſſem, quo integris viribus eſſem : primo ſtatim intuitu nauſeam accepi. Cum enim ait, *Senſus quidem* (tam internos, quam externos) *aboleri, quod ſpiritus animalès effundantur, ſeu profundantur, adeoque vacuum derelictum cerebrum, & deſtitutum proximo animæ inſtrumento, non poſsit manere in officio : motus autem eſſe majores, validioreſque, quod excluſi è cerebro ſpiritus confertim ruant in genus nervoſum, & tantum non tumultuariè moveant, &c.* Hac de re quò magis cogitabam, eò minus capiebam. Videbam equidem, in motu planè Eraſtéum eſſe : in ſenſu alium eſſe voluiſſe, non potuiſſe. Si enim omninò ita ſit, ut ſcribit, quæro, A quo morbo id accidat? A quâ cauſsâ morbus ille pendeat? Duas ille quidem cauſas profert, Alteram, quæ in Epilepſiâ per eſſentiam obtineat, nimiam mentis, cogitationumque inten-

intentionem; alteram, quæ in eâdem per conſenſum, irritationem cerebri, quod moleſtum eſt excutere cupientis: veruntamen, quo modo hæ cauſæ eadem ſymptomata creent, aſſequi non potui. Nimia mentis intentio immobilem facere poteſt hominem: at hic contrarius ſtatus eſt illi, de quo agimus. Irritatio cerebri prærequirit cauſam irritantem, quæ p.n. ſit. At ſpiritus ſunt ſ.n. & nunquam irritant ad ſui expulſionem. Eodem modo, ſpiritus, in muſculos impulſi, ſunt illis ſ.n. quo igitur modo irritant? *Copiâ* fortaſſis? Tum verò cogitationes inſtituere cœpi de curatione. Si enim omninò ita ſe res habet, quas indicationes præbebit? Cum igitur invenirem f. 69. Nolle ſe ſecundum cauſas digerere, ſed per modos operandi procedere: dixi, *Inſolens profectò hoc eſt, & à Methodo medendi alienum!* Cum animadverterem, incertum illi eſſe, *Humores, an vapores evacuet, revellat, derivet, aliò ducat &c.* ſubiracundus abjeci librum cum voce, *Non intelligo.* Et quid? Eſtne hæc vera & legitima cauſa, in quâ inveniendâ tantopere ſe excruciarint, & veteres & neoterici Medici, invicemque contrarias opiniones prodiderint, Cur abolitis ſenſibus, motus nihilominus aliquandiu perſiſtere poſſit: Si Epilepſia rectè eſt in cenſu functio-

functionum læſarum, quei poſſis exſpectare ab illâ motus ſ. n. Sed tempero mihi.

§ 14. Eandem fortunam quia expertus ſum in SAXONIÆ praxi, dicam aliquid de illo quoque. Heic ſciendum eſt. Opera quidem ejus omnia ab Vffenbachio noſtro edita fuiſſe Francofurti, anno 1603. ſub titulo Panthei: praxin autem ſeorſim ib. anno 1610. à Leandro Vailaco, ſub inſcriptione Prognoſeum, potius Prælectionum practicarum. In hac poſteriori edit. l. 1. c. 14. laudo quidem, quod σπάσμα καὶ σπασμὸν diſtinxerit: ſed quod ſubjectum ad totum genus nervoſum extenderit, non probo. Patet enim ex ſuperioribus, ſolum muſculum unà cum tendine, ſicubi habet, ſubjectum eſſe: nervum autem non niſi canalem. Vnde intelligitur, quei fiat, quod, præciſo nervo, ceſſet convulſio? Intelligitur etiam, quomodo excuſanda ſit Galeni, ſi quæ eſt, varietas. Quod enim ipſe ait, locum non habet. * Dico autem, cum nervum accuſat, loquitur ex mente illorum, qui habenæ adinſtar trahere illum volebant: cum muſculum producit, ex propriâ, & ad rei veritatem: cum tendi-

* *Loca allegat 5. Aph. 1. & 60. 4. Aph. 65. 1. Mot. muſc. 16. 4. Praſ. pulſ. 12.*

tendinem, præcipuam muſculi partem nominat, licet non in omnibus ſit.

§ 15. Porro, quæ deinceps ſcribuntur de efficiente convulſionis, proba quidem mihi ſunt: verum in concluſione, ibi, *Itaque ſciendum, ſpaſmum eſſe duplicem &c.* hæreo, tanquam mus in pice. Diſtinguit quidem convulſionem factam à fiente, antiquam à recenti; *Contractos*, dicam ego, à convulſis: ſed non dicit diſtinctè, quod de utraque causâ Hipp. repletione & inanitione dicere debebat. Vt prorſus videatur mihi dicendum eſſe, vacillare heic induſtriam Editoris. Quamobrem converſus ad Panthei l. 1. c. 11. & 13. reperio quidem ibi quoque convulſionem recentem & antiquam: ſed acervum cauſarum tam inconditum, ut deſperabundus iterum abſolvam me illo, *Non intelligo.* Interim hoc tantum dico, *Contractos* hodiè dictos planè hinc abeſſe debere. Laborant enim, ipſo fatente, morbo, vel in *ſitu*, vel in *Figurâ*. Ego ad *Situm* magis inclino, & quidem ſpeciem illam, quæ *σύμφυσις* dicitur. Duo enim articuli illi non debent eſſe connati, ſive, ut clarius dicam, continui, ſed contigui. Quę cauſa eſt, cur conciliatio quoque locorum Gal. pugnantiũ ſtare non poſſit, Contractionem

quidem,

quidem, (ut ita loquar) eſſe à ſolo morbo: convulſionem autem à morbo & facultate ſimul. Fortaſſis, nec opus eſt hac curâ. Diſertè enim Gal. 2. Cauſ. ſym. 1. & 2. morbo ſoli tranſſcribit convulſionem: ubi verò facultas eſt? Ipſe quidem Sax. locum nullum affert: Salius autem, Not. in Altim. c. 13. dat nobis. 3. Loc. aff. 7. Ego verò nihil aliud reperio quam comparationem cum ſingultu. Hanc jure repudio, quia nullum ſimile currit quatuor pedibus, adeoque collatio inſtituitur tantum, quatenus utrobique motus eſt. Coronidis loco id annoto, In confusâ illa cauſarum acie reperiri nonnulla, quæ ſapiunt *Obſtructionem* noſtram tam cerebri, quam muſculorum, eamque à vaporibus potius, quam humoribus craſſis: verum, ſeligere illa nolo. Interim moleſtum mihi eſt, quod tanti faciat locum 12. Meth. ult. qui multimodis mihi ſuſpectus eſt, ut alibi demonſtravi. Præcipuè Congelatio perquam odioſa eſt & oculis & auribus meis.

§ 16. De MASSARIA, Saxoniæ antagoniſtâ, 1. Pract. 18. hoc miror imprimis, quod det Galeno ſymptoma hoc eſſe ſolius morbi: ſimul tamen obtinere velit, eſſe ex altero quoque genere, quod morbi & facultatis ſeu naturæ conjunctim

ctim eſt. Cum enim ſint *ἀνταδιῃρημένα*, quo modo uni rei convenire poſſunt? *Tamen eſt actio*, inquit. Non eſt: eſt ſymptoma. Si omninò eſt actio, ita eſt, ut virgo corrupta eſt virgo. *Omnes concedunt eſſe actionem depravatam.* Imò, *eſt actio communis*, regerit. Explica, ut intelligam. Scio quid ſit actio communis ſeu publica, v.g. ventriculi & hepatis coquentium pro toto corpore: heic quid ſimile eſt? Scio etiam, utramque ventriculi & hepatis actionem, publicam & privatam, ſeorſim edi à quatuor facultatibus miniſtrantibus dictis, licet diſtinctè dicere non poſſim, quo inter ſe ordine procedant: ſed heic quid ſimile eſt? Rurſus, ex Avicennâ ait, 2.i. doct.3.c.1. *eſt actio accidentalis.* Explica, dico iterum. Scio, in iis naturæ operibus, in quibus ad unum effectum complendum plures partes, *καθ' ἐντελέχειαν* agentes, ut ſupra locutus ſum, concurrunt, quaſdam partes eſſe per accidens, v.g. ad ſanguificationem lien per accidens venit, tam apud Ariſt. quam apud Galenum: ſed quid heic ſimile? Lien (ut explicatius dicam) ad officium ſuum laudabiliter perficiendum, opus habet quatuor d. facultatibus: heic ecquid tale? Interim, *non negabis*, inquit, *facultatis animalis opus eſſe nervos & muſculos contrahere.*

re. Proh hominum fidem! De ſtatu ſ.n. loqueris tu : de ſtatu p.n. ego. Ideò ſic explico ex ſup. Quemadmodum motus naturalis fit à ſpiritu animali benè ſe habente, in muſculo benè diſpoſito: ita motus præternaturalis fit à vapore, ſpiritum animalem mentiente, & muſculum ita diſponente, ut contra voluntatem agere cogatur. Hoc cum fiat, tam in verâ & per eſſentiam convulſione, ut loquuntur illi, quam in falsâ, & per conſenſum : quam dabitis mihi differentiam? Symptomata plenè gemina ſunt, ne quid aliud dicam. Profectò, ſi aliquis veritatis ſenſus in nobis eſſet, vel tandem pœnitere nos debebat futilis hujus diſtinctionis! Et quidni ita loquar? Cum ut jam dixi, & multoties alibi, eadem utrobique ſint ſymptomata, quis mihi perſuadeat, illam quidem fieri *à Repletione* & *Inanitione*: hanc autem à ſpiritu flatuoſo? Imò, quia iſta duo tot patent incommodis, quot dici non poſſunt; cum contrà in vapore, ut libenter loquor, omnia ſint plana: quid moramur? Concludo igitur, Omnis *convulſio* eſt à morbo : morbus (ratione muſculi) eſt *Obſtructio* : cauſa eſt *Vapor* : Vaporis cauſa eſt Intemperies.

§ 17. ALTIMARUM quia libenter

penter ſequitur Maſſaria (uterque enim æquè ſtudioſus eſt Gal.) videamus hujus quoque conatus. Locus eſt 1. Meth. 13. qui perſuadet mihi, Maſſ. ex hoc fonte hauſiſſe aquam ſuam. Ait enim, Voluntatem, in cerebro reſidentem, edere motus ſ.n. abſque hoc principio ſi ſit, fieri motus p. n. à causâ quidem morbificâ, ſed non ſine operâ facultatis (hanc vocat ille functionem) irritatæ. Hoc accepiſſe videri vult ex 2. Cauſ. ſym. 2. de Palp. & Trem. 8. Tum verò repentè pro cauſis ſurrogat *Repletionem* & *Inanitionem* Hipp. contentus, credo, laude illâ, quam Gal. 3. Loc. aff. 6. pleno ore decantat, profectò immeritiſſimo.

§ 18. Hujus Cenſor, SALIVS, Notis in Alt. c. 13. duo tantum in iſtis deſiderat. I. Quod omiſerit convulſionis ſpeciem eam, quæ fit à ſpiritu flatuoſo, Cauſ. ſym. l. c. II. Quod à morbo fieri ſemper velit, cum in unâ illâ ſpecie tantum ſit verum, quæ per eſſentiam fit, 3. Loc. affect. 7. Ego heic obiter in genere doleo vicem Veritatis, quæ deſeritur ſæpicule ab iis, qui videri volunt ipſius ſtudioſiſſimi eſſe. Sed ita homines ſumus!

§ 19. Ab ALTIMARO cupiam audire,

audire, Quomodo defectus voluntatis ut ipſe loquitur, cauſari poſſit motum? & quidem tam violentum? tam doloroſum tam periculoſum? Deinde, ſi à ſolo ſit defectu, quid opus eſt irritatione, quam in veſtigio agglutinat? Irritatio verò cum non fiat abſque corpore: unde ſit illud, & quale? Tertiò, ſi veræ ſint cauſæ illæ duæ Hippocraticæ, quam habent connexionem, vel cum defectu, vel cum irritatione, vel cum utroque? Quartò, quibus oculis uſus, ſuis an alienis? convulſionem apud Gal. fieri legerit, non à morbo ſolo, ſed à facultate quoque? Ego enim, non in 2. tantum, ſed & in 1. 1. de Cauſ. ſym. diſertam invenio mentionem ſolius morbi. In de Palp. c. 8. & ult. ubi alioqui ſedes eſt hujus materiæ, & veræ cauſæ declaratio: ne meminit quidem hujus rei. Quamobrem dico audacter, Altimarus labitur memoriâ. Annon hoc quoque dicere licet, Participare illum non parum de delirio Eraſti.

§ 20. A SALIO poſtulo, Oſtendat mihi tertiam illam ſpeciem, quæ à ſpiritu flatuoſo, in de Cauſ. ſym. Eſt enim 3. Loc. aff. 7. z. ut & 5. Aph. 1. licet 8. *κ. Ὑπ.* 3. Q. neget, inveniſſe ſe tertiam cauſam, præter *Repletionem* & *Inanitionem*. Vt ut ſit, Oſtendo illi quid amplius in de Cauſ. ſym.

Locutus

Locutus in univerſum de omni convul-
ſione, duos proponit modos, à priſcis do-
ctos, quibus fiant convulſiones, & ait, *Si-
ve igitur ad principium tenſis, ſive ſpiritus
influxu impletis muſculis, voluntarii motus
habeantur, &c.* Heic vides, ô Sali, duas ve-
terum ſententias de motu voluntario
ſ.n. ἐκ παραλλήλου poſitas, de quibus con-
ſultat, *Sive*, inquit, *fiat hoc modo, trahenti-
bus nervis*, fragm. de Cauſ. reſp. *ſive hoc
modo, impletis ſpiritu muſculis*, 1. Sent.
Hipp. 10. *eodem modo fiet quoque motus
p.n. ſeu convulſorius.* Hinc aſſumo illud,
Motus ſ.n. fit, impletis muſculis ſpiritu
animali. *Ergò motus p.n. fit, impletis
muſculis vapore, ſpiritum animalem
mentiente. Vbi id moneo, Interpretem
Galeno vim facere, cum τὸ πνεύματος ver-
tit *Flatus*. Loquitur enim de motu ſ.n.
qui fit à ſpiritu, non à flatu, cum diſtinctè
agimus. Cum ergò dico, Motus ſ. n. fit
ita, Motus p.n. fit ita : Galeni perſonam
ſumo, depoſitâ propriâ.

§ 21. Heic liceat mihi excurſionem
facere geminam. I. Gal. cum facit alter-
nativam illam, ſive ita, ſive ita ſit, ab
Adraſtéâ victus facit, quod facit. Tacitè
enim damnat *Repletionem* & *Inanitionem*,
quæ ſunt inania nomina. II. Idem acci-
dit illi 4. Loc. aff. 2. Q. cum ait, In Epi-
lepſiâ

* 3. *Loc. aff.* 6. *D.*

lepſiâ ventriculi cerebri magis laborant, quam corpus: in Apoplexiâ contrà. Cum enim heic quoque duæ eſſent antiquitus ſententiæ de utroque hoc affectu, quarum una in ventriculis illos collocabat, ut hodiè, altera in corpore: conciliationem parit heic Gal. ut utriuſque patronos faciat ſibi obnoxios. Quare repeto ſuperius illud, *Si vobis*, ô Amici, *libet amplecti illam veterum Gal. ſententiam, quæ de ventriculis: cur mihi non licet defendere Veterum alteram, quæ de corpore?* Sed nec perinde eſt, cum ventriculis omnia adverſentur, corpori omnia conſentiant. Ita, *repletioni* & *inanitioni* omnia ſunt contraria, ſpiritui flatuoſo paſſim obviam itur.

§ 22. Tandem hoc quoque addo, Salium non videri aſſecutum eſſe Altimari mentem. Expreſsè enim morbo jungit facultatem animalem, tam in eſſentiâ, quam in conſenſu. * Quod cum Gal. nuſpiam docuerit, nec in rei veritate ita ſit; facilè abſolvo Salium. Et quæ veriſimilitudo ducit nos eò, ut de Epilepſiâ per eſſentiam dicamus hoc, per conſenſum aliud? Symptomata enim ſunt eadem, dico iterum. Neque verò eſſentia hæc eadem, quæ in aliis morbis. Quod enim ſuprà quoque dixi, Vt ratio reddi poſſit paroxyſ-

* *Vide infrà par. g. 33.*

paroxyſmorum, oportet Intemperies illa
ixa vel intra calvariam ſit, vel extrà; in
apite, inquam, ſeu tertio ventre.

§ 23. NICOLAVS PISO quia
n Praxi non pauca αὐτολεξεὶ deſcribit ex
Altimaro, jure ipſius aſſecla fuerit. Inte-
im in quibuſdam etiam ab ipſo diſcedit,
eluti in propoſito negotio. Cum enim
lle ne meminerit quidem Epilepſiæ, niſi
quatenus ſub genericâ appellatione ha-
bet: cautè hic, à nobis notioribus orſus,
Epilepſiam pertractat l. 1. c. 19. & mox
. ſeq. Convulſiones. Mihi curſim notare
ibet quædam. I. Quam verè dicit, mor-
bum, à quo ſymptoma motus depravati
pendet, eſſe *Obſtructionem*: tam malè jun-
it illi *Intemperiem*. Hæc enim ſub altera-
ione latet, niſi me decipio. II. Latitudi-
nem epilepſiæ valdè obſcurè deſcribit.
Ego ita concipio. Graviſſima eſt, cum oc-
upantur omnes ſenſus, tam interni,
quam externi, & ſubitò cadunt ægri ſu-
pini, cum concuſſione totius corporis,
vociferatione inconditâ, & ſpumâ circa
os. Minus gravis eſt cum ſenſuum unus
& alter ſupereſt, cum tantillo corporis
motu. Leviſſima eſt, cum ſenſus quidem
abolentur, motus autem nulli apparent.
In hoc genere ſunt illi, qui præſentiunt,
ut poſſint ſe reclinare in lectum, aut ſe-

 dere

dere, quorum aliqui dicunt, **Es ſey jhnen geweſen/als were jhn ein Vogel durch Kopf geflogen.** III. Cum admittit diſtinctionem inter Convulſionem legitimam & ſpuriam, incautus eſt, ut dix anteà. IV. Incautior multò, cum partem affectam agnoſcit ſolum cerebrum, & quidem ſecundum ventriculos, pituit obſeſſos. V. Incautiſſimus, cum Epilepſiæ jungit Apoplexiam, nec diſcrimen ullum dicit, niſi *Semiobſtructionem.* VI. Extremè ineptus, cum diſtinguit ventriculos. VII. Inſigniter fallit & fallitur cum conſenſiſſe ait veteres in humorem craſſum & lentum, qualis pituita & melancholia. VIII. Non minus fallit, cum credit flatum craſſum poſſe facere idem quod humores craſſi. IX. Sententiam juniorum, quos vocat, non intellexit cum ait illos voluiſſe, Obſtructionem heic nullam eſſe, ſed ſenſum tantum moleſtum rei noxiæ. Sed quæ eſt illa res noxia? Quæ vel quantitate, vel qualitate lædat? Ego hoc tantum, Qualitas ſine corpore quomodo id facit? Cætera ſino.

§ 24. In ſpaſmo duo tantum noto. I. Videri illum Cerebrum exculpare velle, cum utitur τῷ *Interdum.* II. Convulſiones ad latera non dari. Addo. III. ex Epilepſiâ, Non procul abeſſe ab

Eraſto

raſto illis verbis, *Quod dum fit, ſpiritus*
borat &c.

§ 25. IACHINVS in 9. Rhaſ.
13. ſtatim initio offendit,confundendo
πασμὸν ϰαὶ σπάσμα. Sed parum hoc
uerat, niſi inde penderet abſurdiſſimum
ogma, Solutionem continui eſſe mor-
um,à quo hoc ſymptoma. Sed & hoc
eviculum eſt: graviſſimum eſt,quod oc-
upat exploſum dudum dogma, Nervos
rahere muſculos, ut habenæ equum tra-
unt. Non minus grave eſt,quod *Contra-*
ctos nobis dictos huc vocat. Galenum
ortaſſis non ſine causâ accuſat,quod va-
ius fuerit in explicandis morbis, qui
ymptoma hoc dant:interim ipſe quoque
ccuſandus, partim, quia non minus va-
ius eſt,partim, quia Galenum ſub cultro
elinquit,ut habet vetus adagiũ. Pro Gal.
go jam dixi,quæ pars eſt,ſupra cap.9.ut
x Patholog. c.113. Iam hoc addo, Ga-
enum, ab ADRASTEA victum, a-
noviſſe πνεῦμα noſtrum φυσῶδες, ut
pſemet vocat ll. cc. etiam cum 3.Loc.
ff.7. dat nobis auram quandam mali-
gnam,ex tibiâ aſcendentem.Eodem facit
ertia cauſa, 5.Aph.1. δῆξις,morſus.nimi-
um hic ſpiritus flatulentus facit mor-
um, & implet utramque paginam, ut
linius alicubi loquitur, h.e.facit omnem

convulſionem. Hunc ſi Iacch. diſtinxiſſe ab humore, rationem reddere potuiſſe cur modo paralyſis fiat, modò convulſio? Convulſio fit à flatu, quippe qui e κινητικώτατος, καὶ σφοδρότατος, ut cun Ariſt. loquimur, qui flatus *Obſtructionem* cauſatur: Paralyſis fit ab humore tenu & aquoſo, qui *Intemperiem frigidam, humidamque* introducit, non ſine tamen *Obſtructione*. Quod ad rem noſtram, ſuffi cit mihi, quod inter morbos hujus ſym ptomatis habet etiam *Flatus tendentes* quia iidem locum habent apud Iacch. in omni per conſenſum convulſione: non ego dico heic plura, niſi hoc, In Epilepſiâ c. 14. quia jungit illam ſimpliciter Apo plexiæ, ab eademque ventriculorum ob ſtructione fieri vult, quia iterum tractum nervorum nobis occinit: licet nobis eſſe quietis.

§ 26. In hac cenſurâ quia negligi non debet VALLESIVS, vir alioqu ſummus, quamvis fortè poſt Eraſtum in cedere debuiſſet: age videamus paucis. Pertendit is 5. Controverſ. 16. *Motus convulſivos in Epilepſiâ fieri à voluntate, etiamſi, inquit, modò contingat ſine libertate fieri, ex virtutis impedimento.* Heic quis non ſtatim videt oppoſitum in adjecto? Cum enim actio voluntaria nulla fiat ſine

faculta-

facultatis (ut mihi loqui placet) trans-miſſione : quo modo imaginabor mihi, facultate non transmiſsâ, actionem fieri tamen ? Explico. Vt actio aliqua, v. g. motus, fiat, duo requiruntur, & Inſtrumenti ſ.n. diſpoſitio, & Spiritus animalis præſentia. Horum alterutrum ſi laboret, quis non videt actionem impediri ? Si impeditur, quo modo fit ? quomodo eſt, & non eſt ? Virgo ſi eſt corrupta, quomodo eſt virgo ? Non majoris momenti eſt diſtinctio, quam parat inter *Convulſionem* & *Concuſſionem*, quâ (concuſſione) additâ, vult ſublevare Galenum. Eſt enim merè voluntaria. Ejuſdem farinæ eſt altera, jam ſæpius rejecta, inter convulſionem legitimam & ſpuriam ? Quis enim ex veteribus docuit ? Norant illi ab aliis convulſionibus differre Epilepſiam in hoc, quod in illis quidem muſculi maneant contracti toto paroxyſmi tempore; in Epilepſiâ autem reciproco motu agitentur : non tamen ſtatum controverſiæ movebant Epilepſiæ, quaſi legitima non eſſet. Dicis fortè, Quæ cauſa eſt hujus varietatis? In convulſionibus, quatenus ab epilepſiâ diſtinguuntur, vapor impactus tam eſt craſſus, ut natura expellere illum non poſſit, ideò moriuntur ferè ægri in primo paroxyſmo, ut ita dicam : in

Epilepſiâ tenuior eſt, ut ſenſim exſpiret membrumque remittat, uſque dum, ſubminiſtrato è cerebro vapore alio, membrum iterum contrahatur. Gradu itaque differt epilepſia à reliquis. Ita in ipsâ epilepſiâ inſignes ſunt gradus pro majore aut minore ſymptomatum diritate, ut non ita pridem dixi. Huc reſpiciunt Celſi illa l.3. c.23. Modò cum diſtentione membrorum, modò ſine illâ. Et falſum eſt, quod Vall. ait, ſemper adeſſe concuſſionem in Comitialibus, & poterat id diſcere ex Avicenna: quin ab mulierculis Noricis. Illæ enim **Das ſtille fraiſchlich** vocant, quamdiu detenti ſunt ſenſus ſine motu: qui poſtquam acceſſit, **Jetzt iſts außgebrochen/** dicunt. Vide autem, quæſo, quiſquis es, quam ſit Vall. ingenioſus! In epilepſiâ, inquit, ſunt motus: in Convulſionibus non ſunt. Non ſunt motus reciproci, Ergò non ſunt motus. Cum enim in Emproſthotono vergit corpus verſus anteriora, annon eſt motus? Ita de Opiſthotono. Ita de Tetano, qui eſt *motus Tonicus* dictus. Quam verò pulcra eſt explicatio mentis Gal. Convulſio fit à ſolo morbo, Ergò eſt ſine motu! Vis hæc quidem aperta eſt. Palpitatio enim, quam Galenus jungit convulſionibus, profectò eſt cum motu. Ab hac ſententiâ ſi alicubi

[a]licubi recedit Galenus, non eſt id tanti.

§ 27. IOVBERTVS, tract. de [e]ſſentiâ & cauſis convulſionis, quia & [E]raſto & Valleſio conſentit, non poteſt [h]eic præteriri. Hoc ille rectè, quod *Replet[ionem]* & *Inanitionem* pro cauſis proxi[mis] non agnoſcit; rectè quoque illud, [q]uod in cerebro recipit ἐρέθισμα: ſed [m]alè, quod non explicat ſe, quod ſit cor[p]us illud *Exiguum* & *Tenue*, à quo fit ir[r]itatio; pejus, cum *Invitis* quidem accide[r]e ait, ſed vi animali (quæ motrix καθ' ὁρμὴν illi dicitur) laceſſitâ & coactâ. Hoc verò quid eſt dictu, mi homo? *Irritari, laceſſiri, cogi* eſt facultatis expultricis naturalis, non animalis, quæ duæ facultates profectò ſic confunduntur. Rurſus, ſi τὸ *Voluntarium* adimitur huic motui, quâ fronte iterum dabitur illi? Fit enim oratio huic ſimilis, Motus in convulſione non fit à ſpiritu animali, ut diſtinctè loquar: motus idem fit ab animali. Sed & hoc non ſatis commodè, quod, de morbo proximo interrogatus, Vnitatis ſolutionem affert, Nec ſatis eſt, ex. 2. Prorrh. 20. dolorem propoſuiſſe. Inauditum enim eſt in arte noſtrâ, Vim naturalem expultricem fieri non poſſe, niſi à morbo. Sed & dolor, qui in muſculis eſt, eſt à *Materiâ exiguâ, tenuique*, è cerebro (puto) huc

tramiſsâ,quæ quid aliud ſit, quam *Vapor noſter*? Hic ſcil.cogere poteſt ad actionem, implendo ventres muſculorum,doloremque cauſando:non autem *Spiritus animalis*,cui negatus eſt aditus, & qui, ſi omninò adeſſet, dolorem non faceret. Et quid ego *Erroneam, fucatam, & ſophiſmatis involutam* ſententiam, pluribus exagito? Præſtiterat profectò portenta talia opinionum averſo potius vultu contemnere, quam meditatâ oratione refutare. Verum, quidquid ſit, ideò ſit, O fugite hinc juvenes!

§ 28. TH. A VEIGA, vir tantus, Com. in 3. Loc. aff. 6. f. 368. tam nudus eſt, in numerandis ſpeciebus & cauſis convulſionum, ut me pudeat illius. VALLESIVS, ut ad illum redeam, in iiſdem Com. valdè moleſtus eſt. I. De humore vel flatu indiſtinctè loquitur. II. De cerebro patrat idem, nec ventriculorum, nec corporis mentione factâ. In hoc ſolo placet, quod *Obſtructionem* cauſatur, cujus materia, in aliâ parte generata, obſtruat aliam. Hoc facilè accommodâro ſententiæ meæ, ſi modò dare mihi voluerit, hanc ipſam materiam ex cerebro ad muſculos didi. O fugite hinc juvenes!

§ 29. PEREDA in Paſchal. lib. I.

c. 14. vir

c.14. vir alioqui accuratus, heic ſui diſſimilimus eſt. Cujus rei hoc unum ſit argumentũ, quod orationem Gal.5. Aph.1. de genere nervoſo falſam, explicat ex aliis locis, qui *Muſculos* habent in ſpecie. Debebat enim prius illud monere, & repudiare: deinde propalare Veritatem. Quapropter increpo iterum illud, O fugite hinc juvenes!

§ 30. Hoc celeuſmate utar heic omni jure in CAPIVACCIO, quem alias non magni facio, præjudicio accepto ab incomparabili SCHERBIO, qui ajebat, *Nimis multas, easque inutiles habere diſtinctiones, quæ legentis cerebrum tantum non diffindant.* Hac in parte non fieri illi injuriam, oſtendere libet Epilepſię exemplo. Hanc 1. Pract. 17. contingere ait, laborante cerebro, & ſecundum *ventriculos*, & ſecundum *poros*. Per Poros ſi intellexit corpus, cur non locutus eſt cum antiquis? Tum verò quis non intelligat, conjunxiſſe illum duas veterum ſententias, quarum altera *Ventriculos* volebat, altera *Corpus*. Sed cur conjunxit? Credo, ut cauſam redderet diverſorum Epilepſiæ ſymptomatum. Quei hoc? Detentionem ſenſuum omnium refert ad corpus: motum convulſivum ad ventriculos: Artificium planè Dædaleum! Ego ab

uno vapore peto omnia. Detentio ſenſuum fit, occupatis à vapore vaſis, per corpus cerebri diſperſis: motus, occupatis ab eodem muſculis. Prioris aſſertionis fundamentum eſt, quia facultates principes exercentur in corpore cerebri, non in ventriculis: ſerviles in ſingulis ſenſoriis, quæ nervos ſuos habent à corpore, non è ventriculis. Poſterioris, quia, ut ſæpè dixi, inimaginabile eſt, tantoperè contrahi cerebrum, ut muſculi ſimul trahantur. Vnde intelligitur, mitigandum eſſe id, quod de partibus nervoſis dicitur ex 5. Aph. 1. Solis enim muſculis id debetur. Quem verò nodum in ſcirpo quærit, cum concedere non vult Galeno, Epilepſiam eſſe convulſionem? Quod addit, Motum depravatum fieri, quia facultas influit, eſt inter ea, quæ nemo intelligit. Differt enim depravatio ab abolitione. Nec id quiſquam aſſequatur, Motum animalem eſſe abolitum, ratione facultatis: depravatum, ratione muſculorum. Mi Capivacci, non eſt heic quæſtio, ut dixi, de abolitâ actione, ſed de depravatâ: quæ quia ponit rem in actu, oportet etiam poſitivum quid ſit. Id verò eſt *Vapor*. Qui verò ex ventriculis afficiantur (ſi modò ulli afficiantur) *τῶν ἀνεξερευνήτων* eſt. Et hæc quidem prima diviſio eſt.

§ 31. Al-

§ 31. Altera eſt, Epilepſia alia eſt *legitima*, & fit vel à repletione, vel ab inanitione: alia *ſpuria*, & fit à morſu ſeu irritatione. De hac idem eſt judicium, eſt conferruminatio duarum ſententiarum, quarum altera hoc volebat, altera illud. Dico ego, quod jam ſæpius dixi, omnis epilepſia, imò omnis convulſio, eſt ab eâdem causâ. Symptomata enim ſunt eadem, niſi quod in epilepſiâ motus eſt interruptus.

§ 32. Tertia huic affinis, *Legitima* eſt ſolius morbi: *ſpuria* eſt morbi ſimul & facultatis. Illa, ratione muſculorum eſt, ut ego loqui mallem. hæc, ratione cerebri. Egregium philoſophema! Quod ille tamen probat ex 3. Loc. aff. 7. 1. Cauſ. ſym. ult. Quidquid ſit, quia à tanto viro eſt, non videtur indignum explicatiunculâ. Hoc fecero, occaſione captâ ab iis, qui Epilepſiam dicunt eſſe morbum compoſitum. ✱ Nullus in rei veritate datur morbus compoſitus, ſi de genere loquaris: ſed morbi plures complicantur, cum morbus morbum gignat. Et hoc eſt, quod ſuprà propoſui conſiderandum. In Epilepſiâ ſunt tres morbi, Intemperies,

 à qua

✱ *In rei veritate*) *Si quis tamen ita velit, cum eo pugnandum non eſt. Eſt enim quæſtio Logica: ut ex Diff. morb. ult. C. apparet.*

à qua vapor: Obſtructio in cerebro, à vapore facta: Obſtructio in muſculis ab eodem vapore. Interim poſtrema hæc *Obſtructio* eſt morbus ille, à quo pendet motus depravatio, cum præcedentes cauſæ locum ſubeant. At tu mihi vide anxium & dubium docendi modum penes illos, qui rem non intelligunt! Omnis convulſio eſt vitium motus univoci, qui voluntarius eſt. Ad hunc inducendum, opus eſt cerebri motu æquivoco, qui naturalis. Hos duos motus quia non diſtinguunt, quis credat illos benè docere? Vnde intelligitur, ad vitandum motum voluntariũ, quo de agimus, ſatis eſt morbus. Verum enim verò, quia vitium ſine facultate cerebri expultrice (naturali) non fit, confundunt illam cum voluntario ſeu animali. De alliis ergò quæſiti, de cepis reſpondent.

§ 33. Quarta diſtinctio in epilepſiam *per eſſentiam* & *per conſenſum*, benè habet, ſi rectè explicetur. Quod enim dixi nuper, ut paroxyſmorum ratio reddi poſſit, oportet in capite (accepto vocabulo pro eo toto, quod collo inſidet) intemperies aliqua ſit, mater vaporis; non ſecus ac in conſenſu intemperies eſt viſceris alicujus, aut etiam alius partis, ut hiſtoriæ nos docent.

§ 34. Quin-

§ 34. Quinta, in *Vaporem* & *Mineram*, non minus eget explicatione. Per illum intelligit cauſam propinquam: per hanc, remotam. Hanc dum facit quemvis humorem, eumque vel pituitoſum, vel melancholicum: excellenter fallitur. Non enim ſufficit quivis vapor, à quovis calore ſimplici elatus: oportet ſubſit putredo, aut potius corruptio ſubſtantialis, unde vapor talis, qualis dictus eſt. Ab hoc tali vapore pendet argumentum Averrois, quod eſt *ἀποδείξεως* inſtar. Porrò, quam elegans eſt *Vaporis* conſideratio triplex, in *Copiâ*, *Quantitate*, *Quiete*! Multò elegantius, cum conſenſum ducit, vel *à vaporosâ ſubſtantiâ*, vel *à qualitate*! Loquitur quidem ferè ita Gal. in 3. illo de Loc. aff. ſed ex ore Pelopis præceptoris. Propterea, rectè Vall. in Com. ait, Opus eſſe ſubſtantiâ. Longè elegantiſſimum eſt, quod Qualitatem facit duplicem, *ſpiritalem* & *materialem*! Suprà omnes cœlos eſt *Intemperies ex uſu*, & *non ex uſu*! Sic nimirum diſtinctio parit ſubdiſtinctionem, hæc rurſus aliam, atque ita in infinitum. Profectò, non riſu, ſed flagris digna ſunt talia *λαπίσματα*, quæ tamen pro gemmis habent Capivacciani noſtri! Talia ſc. labra tales lactucæ decent! Atque ita me abſolvo:

§ 35. Vin' tu plures? Nulla res facilior fuerit, ſiquidem otium tibi grave ſit. Equidem fateor, hactenus me miram ex his voluptatem cepiſſe; partim, quod publicum Veritati præconium vulgârim, & hoc ipſo hymnum cecinerim DEO meo: partim, quod Mendacium è latibulis protraxerim, ut vel pueris nota fiat turpitudo illius. *Sed* jam ſatur ſum, & cogito de alio & utiliore labore, idque hac occaſione.

§ 36. Cum primis ſtatim ſtudiorum meorum annis, in doctrinâ Convulſionum inclinarem ad Flatus Peripateticos, idque autoritate viri incomparabilis, Doctoris mei nunquam ſatis laudati, D. PH. SCHERBII; alterâ verò ex parte, quaſi catenis me illigatum teneret *Repletio* & *inanitio* Hipp. à tot illuſtribus animabus defenſæ: diu fluctuavi, tanquam navis, quæ in anchoris ſtat. Hinc enim propellebant me quidem Flatus: illinc autem rurſus repellebant me difficultates, ad quas reſpondere non poteram. Temporis interea cum veniret adoleſcens, qui defenſum vellet Hipp. admiſi, viſurus, ſi vel hac occaſione è fluctibus expedire me poſſem. Et favit Fors fortuna adeò, ut, lectione & meditatione multiplici adjutus, *Flatus* quidem planè admiſerim,

miſerim, *Repletionem* autem cum *Inanitione* dimiſerim. Nec pœnitet facti, γηράσκω γὰρ ἀεί πολλὰ διδασκόμενος.

De Convulſione θέσεις καὶ ἀντιθέσεις,

CAPVT. XIII.

ΘΕΣΕΙΣ.

NOmen. 1. σπασμὸς, ὁ, Græcis eſt morbus, quo de agimus, de quâ voce duo ſunt notanda.

2. Alterum. Diſtinguendam eſſe ἀπὸ τοῦ σπάσμα, quod alias & θλάσμα dicitur, & ῥῆγμα, & pertinet ad *Continui ſolutiones*, cum muſculus totus per transverſum rumpitur, quod in palæſtris veterum ſæpè accidebat.

3. Alterum, Eſſe quidem τὸ σπασμὸς omninò genericum hodiè tamen uſurpari à Latinis, tanquam Latinum, de primâ & leviſſimâ convulſionis ſpecie, quam nos den Krampf vocamus, & Italorum quidam, *il Gramfo*, aut *la Cramfa*.

4. *Convulſio* noſtratibus familiaris vox eſt. Fortaſſis melius *Contractio* diceretur, ἀπὸ τοῦ σπᾶν quippe. Olim *Diſtentio* vocabatur, ut eſt apud Cælium Aurel. Celſus *Rigorem nervorum* nuncupat, & ad cervicem ſolam adſtringit, incommodè

dè utrumque. Sed & difficulter applicatur Epilepſiæ : ne dicam, facilè confundi poſſe cum rigoribus febrilibus. Nec placet additio *Nervorum*. Niſi enim pro *Muſculis* habeat, ut olim Hipp. & Ariſt. fruſtrà fuerit.

5. Sed ſit : ducit nos appellatio hæc ad * definitionem nominis, quæ ſola ſub hoc initium locum habet, *Convulſio eſt motus depravatus muſculorum, cum præter voluntatem verſus principium ſuum trahuntur.*

6. *Hæc vel univerſalis eſt, cum totum corpus patitur : vel particularis, cum certæ partes, 3. Loc. aff. 6. A.

7. Vniverſalis eſt motus vel interpolatus, vel continuus.

8. Interpolatus ἐπίληψις, ἢ ἐπιληψία dicitur Græcis. Subintelligitur autem φλεβῶν, & eſt idem cum τῷ ἀπόληψις φλεβῶν, ut utrobique ſit *Interceptio venarum*. Ita autem videtur, ibi quidem τὸ ἐπὶ poni ἀντὶ τοῦ ἀπὸ, cum intendit ſignificationem: utrobique autem ſignificare non quamcunque *Interceptionem*, ſed *vehementem & periculoſam*. Eatenus enim τὸ λαμβάνω differt ab utroque compoſito, ἐπὶ &, ἀπολαμβάνω.

9. Hac ratione ſimul acceſſerimus ad

* *Definitio nominis.*

* *Differentia.*

τὴν ἱερὰν νόσον, magnum(non *ſacrum*)morbum Veterum: ſimul abſolverimus nos à *Supernarum partium prehenſione*, quam ſomniant quidam.

10. Epilepſia(nam hoc ſolo vocabulo utemur) varios habet gradus, quæ ſpecies heic (ut à priſcis habemus) non mutant ut in Apoplexiâ. Graviſſima eſt, quando cum motu reciproco, quem κλόνον vocant illi, abolentur omnes ſenſus, h.e. tam *interni*, quos *Facultates principes* vocamus, Ratio, memoria, imaginatio: quam *externi*, Viſus, auditus &c. Hoc fit, cum totum cerebri corpus (nullo modo ventriculi) unà cum principio nervorum occupatur. Minus gravis eſt, cum pereunt quidem ſenſus omnes: ſalvus autem utcunque motus eſt. In his ſervari ex ſenſibus poteſt ſolus tactus. Iterum, minus gravis eſt, cum vel ſoli interni pereunt: vel ſoli externi; vel, ſalvis utriſque, motus tantum. Hæc omnia fieri, ex hiſtoriis probatu facile eſt.

11. Et hæc de *Interpolato* motu: in *Continuo* ſeparo me à Celſo, ut jam dixi, qui ad cervicem adſtringit. Quamvis enim fieri poſſe non negem: tamen Græcorum doctiſſimi alligârunt ad totum corpus unà cum artubus.

12. Ἐμπροσθότονον enim vocârunt, cum

cum ſpina tota verſus anteriora vergit, artuſque violenter extenduntur.

13. Ὀπισθότονος, cum eadem in arcum incurvatur, & artus flectuntur, brachiis quidem pectori appreſſis, pedes autem clunibus appropinquant.

14. Τετανός (ita enim ſcribo) cum totum corpus riget, quaſi tonico motu actum.

15. An quia ab hoc poſteriori ſunt duo priora, ſcribendum eſt ἐμπροσθοτέτανος & ὀπισθοτέτανος? Errante enim primo ſcribâ, erratum manet, ſæpè inquit Gal. Accedit, quod facilè probatu non ſit, τά τάνος eſſe idem cum τῷ τετανός.

16. Hæ tres ſpecies ab Epilepſiâ differunt, quod in illis ſenſuum tam internorum, quam externorum nulla ſit læſio, l. de Diff. ſymp. 3.

17. An *Catalepſis* & *Catoch* eſt *Tetanus* quidam, licet cum Epilepſiâ communicet in eo, quod ſenſus & motus heic quoque ligati ſint? Vide Pathologica noſtra, cap. 124.

18. An *ſpaſmus univerſalis* eſt *Tetanus levior*? Conſtant enim ſenſus, quod vidi. Particularem qui non expertus ſit, vix puto eſſe hominem, licet particularia nomina non habeat.

19. His contrà gaudent *Convulſiones* reliquæ.

reliquæ. *Strabiſmus* enim in oculo eſt, licet morbus in ſitu quoque eſſe poſſit. *Convulſio canina* in labiis & buccis, quamvis paralyſis etiam eſſe poſſit *Priapiſmus* & *Satyriſmus* in pene. Accenſent his quidam & *Sternutationem*, quam Epilepſiam parvam vocant : & *Singultum*, quem ipſe Hipp. convulſionibus annumerat.

20. *In cauſis indagandis non oportet ire ad *Repletionem & Inanitionem* Hipp. 5. Aph. 1. 6. Aph. 39. Tanto enim intervallo abſunt à verâ Philoſophiâ, quanto Cerletani Italorum, ut veriſſimè (non ex odio Medicorum, ut Mercurialis judicat) Averroës 5. Coll. 1. Quò minus videre poſſum, cur Gal. 3. Loc. aff. 6. tantoperè commendârit! Qui admittunt, in Epilepſia per eſſentiam tantum volunt, & quidem *Repletionem* ſolam : in Epilepſiâ per conſenſum *Flatus* ſeu *vapores*, quod profectò indigniſſimum eſt. Eadem enim ſunt ſymptomata, ut toties dixi, quarum cauſas ex flatibus habes, ex repletione non habes.

21. Ire igitur ad Meteorologica Ariſt. oportet, & conſiderare artificium veterum planè divinum, quo modo à φαινομένοις, *à Nobis notis*, tranſitum fecerint ad ἐναργῆ, *Naturâ nota*, ſive à ſenſibus ad intellectum.

* *Cauſæ.*

tellectum. Hoc faciam ductu SCHERBII, τȣ̃ θειοτάτȣ, idque hæc natâ occaſione.

22. Cum anno 1601. de Terræmotu contra Ariſtot. diſputaret DD. TAVRELLVS, præceptor item meus, & ego inter Opponentes, quos vocant, eſſem, varia SCHERBIVS mecum contulit ſuper hoc negotio, ſubinde accommodans ad Epilepſiam, à quâ, præ aliis convulſionibus, ordiendum eſſe ajebat. Hæc ita explicabat.

23. In *Macrocoſmo* terræmotus à flatibus fieri, inter alia φαινόμενα docet hoc, Quod certis locis incipiunt, è quibus veniunt ad vicina, ab his iterum ad vicina, & ſic deinceps, uſque dum alicubi erumpant. Hinc ego colligo hoc ἐναργὲς, Oportet ergò tale corpus ſit, quod & σφαδάζειν & κινητικώτατον ſit. Quæ duo requiſita in quo reperias, quam in ἀναθυμιάσει ἢ πνεύματι Ariſtotelico?

24. Superioribus annis, cum totum hoc opidum, noctu circa horam tertiam, ita concuteretur, ut plerique noſtrum è ſomno excitaremur (inter hos me quoque eſſe, non falſo prædico, interſabar ego)

* *Vide Cæſalp. 2. Quæſt. Med 16. Adde Vicomercatum in Meteorol. Ariſt. f. 107. aut. 131. utriuſque ed. Venetæ.*

ego) annon poſteà comperimus, antè menſem fortè idem ſenſiſſe Rhenanos, & poſt hos Francos : poſt menſem Auſtrios & Vngaros? Quæ ratio motus hujus ſucceſſivi? Reverà, montium ille caſus eſt λόγ☉ πρὸς τὴν δόξαν βιαζόμεν☉, ut Philoſophus loquitur.

25. In *Microcoſmo*, (addebat) eodem modo *Convulſiones* fiunt, præcipuè Epilepſia. Quam enim rationem dabimus ſubiti illius acceſſus? & rurſus ſubitæ illius ſolutionis?

26. Idem φαινόμενον jubet nos ſpernere ventriculorum cerebri obſtructionem, & quidem à frigidis, craſſiſque humoribus, quod profectò nimis populare eſt: è contrario cogitare de corpore cerebri, è quo via eſt in nervos, cum è ventriculis non ſit.

27. Si enim concedatur, quod tamen per rerum naturam fieri non poteſt, Ventriculos contrahi: quei veriſimile eſt, contractionem illam ad muſculos uſque pervenire? Et quæ proportio eſt inter contractionem tantillam cerebri, & contractionem muſculorum tam vehementem? inter motum æquivocum & univocum?

28. Si concedatur etiam Galeno motus ille cerebri proprius, quo aërem externum

ternum trahere credi vult ad ſpirituum animalium confectionem, quod tamen reverâ quavis fabulâ inſolentius eſt: quis credat, motum illum (ex hypotheſi) naturalem trahi poſſe ad non-naturalem?

29. Præterea, quis ſibi patiatur perſuaderi, muſculos eo modo trahi à cerebro, quo ego manu traho lapidem, funi alligatum? Oportet in ipſas muſculorum cavitates recipi corpus tale, quale deſcriptum eſt σφοδρότατον καὶ κινητικώτατον, quod ex corpore produci poteſt, ex ventriculis non poteſt, ceu dixi.

30. Hæc ferè ille tum: quæ cum longo tempore poſt non apud Ariſt. tantum reperirem, ſed & Gal. ipſum, ita me abſtraxerunt, tam ab *Obſtructione* Gal. ipſius, quam à *Semiobſtructione* Fernelii, Montani, Maſſariæ, aliorum primæ claſſis Medicorum, ut toto animo reſiliam, quoties audio. Maximè cum ab eadem causâ (nihil enim promovet modificatio illa Gallica) Apoplexiam quoque generant. Quid enim? Symptomata tam diverſa fiant ab eâdem causâ? Morbus acutiſſimus, & longiſſimus? cum hypotheſi verè ſtramineâ, ſpiritus elaborari in ventriculis cerebri? Sed hæc quidem poſteà videbimus.

31. Nunc, quia procul omni dubio poſcis

poſcis me loca illa duorum ducum noſtrorum, hem tibi illos!

32. Philoſophus, cum explicuiſſet 2. Meteor. 8. terræmotus, ſubdit, Ὅταν δὲ ἔχει τὸ πνεῦμα δύναμιν, οὐ μόνον ἐκ τῶν ἐν ἀέρι γιγνομένων θεωρεῖν δεῖ, ἀλλὰ κἂν τοῖς σώμασι τῶν ζώων· οἵτε γὰρ τέτανοι καὶ οἱ σπασμοὶ πνεύματός μέν εἰσι κινήσεις· τοιαύτην δ' ἔχουσιν ἰσχὺν, ὥστε πολλοὺς ἅμα πειρωμένους ἀποβιάζεσθαι μὴ δύνασθαι κρατεῖν τῆς κινήσεως τῶν ἀῤῥωστούντων. Vbi hoc primum moneo, Videri duas illas voces, τέτανοι καὶ σπασμοὶ, eſſe ἰσοδυνάμους, more Græcis valdè uſitato, quod explicentur in ſeq. per τρόμους, qui non ſunt *Tremores* Gazæ, ſed *Convulſiones* Valleſii, 5. Epid. 49. quo de loco infrà. Tunc ſenſus hic erit, Si parva licet componere magnis, *quanta ſit vis ſpiritus, exhalationis, vaporis, aut quomodocunque velis appellare, diſcere eſt, non ex iis tantum, quæ in Meteorologicis tractantur à Philoſophis: ſed ex iis, quæ de Convulſionibus Medici docent. Tam enim violentæ ſunt Convulſiones, ut, etiamſi plures adſtantium contranitantur, & dirigere velint corpus, non poſſint.*

33. Idem 7. Hiſt. ult. de Somno. 3. ad Epilepſiam puerilem refert, quam fieri ait in iis, qui copioſiori & flatulentiori alimento utuntur. Quam ob cauſam & vinum prohibet.

34. Hanc

34. Hanc Philoſophi mentem qui non perceperit ex iis, quæ ſcribit Medicus duobus locis, 2. Cauſ. ſym. 2. D. & de Trem. & Palp. ult. A, ille, vel ἀξύνετος, *ſtultus* eſt, vel aliquod intereſſe habet, ut ſic loquar, veluti ipſe ex Thucydide, 3. Vſ. p. 10.

35. Hoc φαινόμενον ſi ſtabiliero alio evidentiori, dabiſne mihi manus, ó φιλογάληνε, quo nomine ſcio te apprimè gaudere? Antequam id narrem, revoco tibi in memoriam axioma Phyſicum, quod de hoc ipſo negotio Piccolhominus habet in Meterol. quà de Terræm. f. 932. edit. Francofurt. Nullum reperiri motum violentum, qui non ſupponat motum ſ. n. à quo pendeat. Quare, ſi quæratur, quod ſit illud, & unde vis illa invicta, quæ cohiberi non poſſit, quæque omnia

Imperio premat, & vinclis & carcere frenet?

Reſpondebitur, Animadverſum fuiſſe, & olim à Gal. preceptoribus, 3 Loc. aff. 7. & poſteà à noſtrorum plurimis, quos videre eſt apud Schenk. 1. obſer. 189. & ſeq. in quibuſdam Epilepticis ex imo pede, ex tibiâ, ex coxendice, ex utero, ex liene, ex ventriculo, &c. aſcendere auram quandam frigidam, ut ferè loquuntur, ad cerebrum, quâ ibi conceptâ, ſubitò,

ſubitò,& facultates omnes diſpereunt,& motus convulſorii incipiunt. Hanc autem negabiſne proportionem habere ad flatum Ariſtotelicum?

36. Non negabo dicis, ſed diſcere cupiam, *Quid heic naturale ſit, cum vapor ſit p.n.* Vapor ipſe eſt p.n. nec quæſtio eſt hac de re. Quemadmodum in terræ motu flatus p.n. naturaliter movetur ſurſum: ita heic vapor tendit ſurſum ad cerebrum, è quo iterum deturbatus à vi expultrice, quę ipſa naturalis eſt, facit κλόνον illum. Nimirum calvariam penetrare non poteſt, ſubſiſtere ibi minus: quare, quâ viâ patet, nervos ingreditur, & inde in muſculos fertur.

37. Inquis, *Hoc in Epilepſia per conſenſum tantum habet locum*? Ex hypotheſi Galenicâ inquam ego. Ea verò non unam habet inſtantiam, & hanc præcipuè. Quod, ſi eſſentia eo modo accipiatur, ut in aliis morbis, ratio nulla dari poſſit paroxyſmorum. Quamobrem non rarò mihi occurrit hoc παράδοξον, *Nullam dari Epilepſiam per eſſentiam.* Tamen, ne novator videar, eam dicam, in quâ caput eſt ſedes intemperiei illius, quæ flatum Epilepticum gignit. Hæc intemperies poteſt eſſe tam intrà, quam extrà calvariam, excepto principio nervorum. Hoc enim

occupato, cauſæ non eſt, quin ſemper laboret æger.

38. Altera inſtantia eſt, Inexplicabil eſt, quomodo Epilepſia per eſſentiam fia à *Repletione* & *Inanitione* : per conſenſum à flatu ſeu vapore mordente, irritante. Nec quidquam ſublevat, quod Gal. 3 Loc. aff. 7. A. Inanitionem aſpellit, cum tot aliis locis, quibus in genere loquitur agnoſcat. Multò minus juvat, quod fin dicti cap. ut & alibi, Epilepſiam per conſenſum, & rarò fieri ait, & mitiorem eſſe. Iam enim alii antè me obſervârunt, utrumque eſſe falſum, & ſimplici inverſione refellendum, *Non minus frequentem eſſe alterâ, Non minus ſævam alterâ.*

39. Sed ſint vera hæc omnia : Quomodo humor craſſus, frigidus, glutinoſus; quomodo pituita & melancholia quæ obſtruunt ventriculos, poſſunt eadem inferre ſymptomata, quæ facit vapor acris, ex bile v.g. æruginosâ. 5. Aph. 1 qui irritando agit? Quin, ut iterum dicam ſunt ſymptomata tam ſibi ſimilia, ut peritiſſimi dubitent aliquando, per eſſentiam ne ſit affectus, an per conſenſum?

40. Propterea veni in hanc ſententiam, Omnem Epilepſiam eſſe ab unâ, eademque causâ, *Vapore*, ſed cum hac differentiâ, *Vapor alius eſt à manifeſtis cauſis*

caliditat

caliditate & ſiccitate: alius à totâ ſubſtantiâ. Ideò intemperies quoque duplex eſt, alia, quæ dicta eſt, & cui occurrimus aquis taraxici, alſines, ſquamatæ &c. in pueris præcipuè: alia eſt à totâ ſubſtantiâ, ceu dixi.

41. Hujus conſectarium eſt, ut Epilepſia ſit in cenſu illorum morborum, in quibus pars mandans differt à recipiente, idque ideò, ut ratio paroxyſmorum reddi poſſit, ceu pariter dixi.

42. Ergone, inquis, Epilepſia jam non eſt morbus, ſed acervus morborum? Eſt, & non eſt. Eſt: quatenus morbus morbum gignit. Inde eſt, ut hic fiat ordo. Primus & quidē fundamentalis morbus eſt *Intemperies*, modò hæc, modò illa, quæ *Vaporē* gignit. Secunda eſt *Obſtructio* in cerebro, ob quam ſpiritibus negatur aditus, pereuntque ſenſus univerſi. tu puta in Epilepſiâ graviſſimâ. In minus enim gravibus variant ſymptomata, pro ratione *Obſtructionis*. Tertius eſt alia *Obſtructio* in muſculis, ob quam depravatur motus. Non eſt: quatenus utraque *Obſtructio* tantum habet rationem morbi: Intemperies ratione cauſæ. Hinc Indicationes, in ſimplici quidem alterandi, refrigera; in totâ autem ſubſtantiâ, ure, ſeca, ſi potes.

ANTIΘEΣEIS.

43. Heic ſubitò audio obſtrepentem quendam contra §. 38. Argumentum tuum tale eſt, *Vbicunque eadem ſunt ſymptomata, ibi ſunt eædem cauſæ, In omni Epilepſiâ ſunt eadem ſymptomata, Ergò*. Major habet hanc inſtantiam, Diarrhæa, dyſenteria, colica habent ſua ſymptomata, & tamen pendent à variis partibus mandantibus. Do tibi omnia. Dicam igitur à variis cauſis. Non poteſt. Eſt enim ubique eadem ſymptomatum congeries, licet humores modò ſint ab hac parte, modò ab illa. Ita, unde unde ſit vapor ille ſceleſtus, idem agit.

44. Stante igitur hoc, urgeo illud contrà Epilepſiam per eſſentiam, *Non poteſt dari ratio paroxyſmorum*. Iamque addo, Cadit hinc ſimul triplex Epilepſia Gal. 3. Loc. aff. 7. V. & non niſi una manet, illa ſc. quam tertio loco numerat. Et quæ ratio eſt, cur ventriculus ſolus faciat Epilepſiam per conſenſum? Certè ex quam plurimis partibus accidit tale quid, quale ille ait è ventriculo fieri. Quin lienem numerat ipſemet cap. præced. 6. E.

45. Cadit, ut paululùm aberrem, triplex quoque Melancholia, Ib. K. O. Per eſſentiam, ex ſolo capite: per conſenſum,

cx

ex habitu: hypochondriaca. Nam tertia hæc etiam per conſenſum eſt, à ventriculo quidem incipiens, ut rectè definit Gal. ſed posteà tam mirabiles mores induens, ut Proteus dicatur à Mercuriali. Propterea ità concipere ſermonem oportet, Melancholia aut per eſſentiam eſt, aut per conſenſum. Hæc rurſus, aut ab habitu pendet, aut à viſceribus inferiorum ventrium, tantoperè varians ſymptomatis, quod poſt ventriculum laboret modò hoc, modò illud viſcus; modò plura ex his, modò pauciora.

46. Periclitatur etiam diſtinctio Epilepſiæ in legitimam & ſpuriam. Cur enim legitima eſt illa, quæ fit à *Repletione*: ſpuria, quæ à *vapore mordente*? Omnes ſunt æquè legitimæ: omnes ſunt ab eâdem causâ: omnes habent eadem ſymptomata, quatenus ſc. Epilepſiæ ſunt: omnes habent eoſdem curationis ſcopos.

47. Propter latitudinem Epilepſiæ, de quâ § 10. periclitantur, qui definiunt ſummum ejus gradum tantum, cum in terram cadunt, & toto corpore convelluntur, &c. Iam enim pauciora & mitiora ſunt ſymptomata: jam plura, ſævioraque.

48. Conſtat quidem, Epilepſiam eſſe

cum κλόνῳ ut plurimum;reliquas autem convulſiones cum motu ſimplici : non conſtat, an quemadmodum in Epilepſiâ aboliti ſunt ſenſus omnes, ita in reliquis quoque ſit? Ego ex de Diff. ſym.3. D. attuli autoritatem Gal. ſine experientiâ nihil aſſerentis, Non eſſe. Quare illi, qui ajunt Eſſe, aut experientiam contrariam afferant, aut ſileant. Ego certè, quod dixi § 18. in ſpaſmo univerſali vidi conſtare. An ſit, cum ſolæ ſunt; non ſit, cum Epilepſia illis copulatur?

49. Heic temerè ſoliciti ſunt quidam, quærendo, Quâ in re conſiſtat eſſentia Epilepſiæ? In medio ſunt Gal. verba, in illo de Diff. Sym. E. Epilepſia dicitur, ſi totius corporis convulſio ſit, cum rectricis partis cohibitione, ut Int. loquitur. Ego verò jam dixi, de ſummo gradu tantum hoc verum eſſe. Nec tutò quis dixerit, vel in ſenſu eſſe, vel in motu: multò minus, In actione animali. Hoc enim eſſet ſub nube latere velle. Dico igitur, reverâ quidem in utroque eſt ut plurimum: dicitur autem à motu, qui magis incurrit in oculos.

50. Non minus temerè laborant illi, qui crepant Gal. illud, 4. Loc. aff. 2. Q. *Epilepſiam eſſe mediam inter Carum & Apoplexiam. Carus* eſt affectus ſoporoſus, p. n. qui-

p.n. quidem: ſed finiens in ſanitatem, idque cum reſpiratione vel naturali, vel majori, cum ſomnum toto pectore proflant, ut Virg. canit. Si quando non ſequatur ſanitas, non *Carus* fuit, ſed *Apoplexiæ inferior gradus. Apoplexia* non eſt affectus ſoporoſus, niſi apud vulgus, quod ex ſtertore judicat. Eadem ratio eſt *Epilepſiæ*. A vulgo autem exſpectes aliquid certi? Quin abjicere oportet talia, quæ morantur bona ingenia.

51. Neſcio an dicere audeam: ſed quidni? Pueri ſunt, qui quærunt, Morbuſne ſit, propriè accepto vocabulo, an ſymptoma? Morbus eſt: ſed nomen habet à ſymptomate. Hic morbus pro causâ habet Intemperiem, quæ generat vaporem obſtruentem.

52. Paulò meliores ſunt, qui interrogati de ſententiâ Gal. Quale ſit ſymptoma? dicere audent ex 2. Cauſ. ſym. 1. & 2. Eſſe actionem læſam, & quidem de genere iſtarum, quæ fiunt à morbo & naturâ ſeu facultate ſimul. Atqui diſertè Gal. ille bis ait, eſſe à morbo ſolo. Nimirum, non demittunt ſe eò, ut libros inſpiciant, —κενεῆς οἰήσιος ἔμπλεοι ἀσκοί, ut verſus habet Timonis Phliaſii, ſillographi.

53. Nec quidquam juvat illos, quod facultas cerebri expultrix irritata partes

heic habet ſuas. Naturalis enim hæc eſt. At de animali muſculorum quæſtio eſt, in quâ quam infeliciter deſudent Eraſtus, Platerus, Ioubertus, Maſſaria, alii, notum eſſe poteſt.

54. Sed qualis eſt læſio? Abolita, imminuta, depravata? Non poteſt ſimpliciter reſponderi. Reſpectu ſenſuum, in Epilepſiâ quidem graviſſimâ, eſt abolita: in inferioribus autem gradibus, imminuta. Reſpectu motus eſt depravata.

55. De ſubjecto quæſiti quidam, non ſuperbè tantum reſponſant, ſed & autoritates ſputant Gal. Cæl. Aurel. Trall. *Cerebrum neceſſariò affici.* Non ego nego: ſed cupio diſtinctionem claram & apertam, quam ſibi derogant ipſi, cum *nervoſitates* Plinianas aggerunt. Scio, in hoc reatu Galenum quoque eſſe 5. Aph. 1. ſed hoc non excuſat.

56. Cerebrum affici, certo certius eſt: volo audire, quâ ſui parte? quatenus? quomodo? Nil dubito, dicent, Quatenus ventriculi ſemiobſtruuntur. Res in æternum falſa! Ex ventriculis via in nervos nulla eſt: ſed in palatum, unde etiam derivant ipſimet excrementa pituitoſa, quæ in quibuſdam viſenda ſe præbent poſt paroxyſmos. Ideò quæram, Habentne ventriculi ſimul tam ſublime officium, ut ſint

ſint ἐργαστήρια ſpiritus ? corporis tam nobilis ? ſimul tam deſpicabile, ut vulgò creditur, ut ſint cloaca excrementorum? Non credam, etiam ubi Fides ipſa juramento ſe obſtrinxerit.

57. Quidquid ſit, Cerebrum ſolum non poteſt accuſari, cum partem culpæ manifeſtè gerant *Muſculi*. Palpitat quidem Gal. Aph. l.c. cum nominatim ſiſtit nervos, ligamenta, muſculos, tendines: ſed non puto pertendere illum velle, omnes has partes ex cerebro oriri, multò minus omnes ad motum hunc vitiatum concurrere.

58. Quid ſi petamus explicationem ex 3. Loc. aff. 10. ubi nervos ſolos habet? Vix poſſumus, niſi fortè cum Hipp. & Ariſt. qui non raro muſculos vocant nervos, loquitur. Acceptemus igitur τὸ ῥητὸν, & quæramus, Quo modo nervos credat huc facere? Procul dubio, trahendo muſculos, quomodo habenis equus regitur. At hoc multimodis falſum eſt, & loquitur ita Gal. non ex propriâ, ſed ex alienâ ſententiâ.

59. Quidquid ſit: dic mihi clarè & diſtinctè, Quid cerebrum heic facit? quid nervi? *Cerebrum*, dico ego, accuſare, eſt cœca aſſertio. Non & *Intemperies*, quæ fomitem præbet vapori iſti infelici, poteſt

in cerebro eſſe : & *Obſtructio* illa , quæ paroxyſmos gignit. Si ergò de paroxyſmis ſit ſermo, noli mihi dare totum cerebrum : ſed da mihi partem illam , quæ continet cauſam proximam , *principium nervorum*, unde motus.

60. *Nervos* apprehendere velle , non minus cæcum eſt. Duobus enim modis concurrere poſſunt, aut trahendo muſculos , quod falſum eſt : aut iter præbendo vapori , quod verum eſt. Proinde dico, Cum ſermo eſt de motu in paroxyſmo, locus affectus eſt Cerebrum, quatenus in ſe habet principium nervorum : nervus, quatenus (ut dixi) iter præbet vapori ad muſculos.

61. Sed nondum enatavimus. Quid faciendo cerebrum facit motus hos in muſculis? Credere velle, fieri cerebro contrahente ſe , & quaſi corrugante ad expellendum id, quod noxium eſt : extremæ dementiæ eſt , præſertim , ſi hoc addatur. Vnà contrahi omnia συμπεφυκότα , muſculos nervoſque omnes.

62. Atqui Gal. hoc ſcripſit 1. Cauſ. ſym. ult. verbis? Videamus. De ſomno & vigiliis loquens , hæc habet, ἄμφω μὲν γὰρ ταῦτα πλημμελεῖς κινήσεις εἰσι τοῦ ἐγκεφάλου καὶ διὰ τοῦτο καὶ τῶν κατὰ μέρος ἁπάντων μελῶν. Horum verborum ſenſum eſſe hunc,

hunc, non negabis, *Quemadmodum propter cerebri affectum qualemcunque, & vigilamus, & in lecto ſubinde nos volutamus: ita propter cerebrum affectum convulſiones incurrimus totius corporis.* Ex his generalibus evinces tu mihi modum, quo fiunt motus Epileptici? maximè, quia in veſtigio ait, *Difficile dictu eſſe, quæ ſit cauſa morbi, à quo convulſiones partium ſunt?* Vult probare, convulſiones eſſe ab affecto cerebro: hoc facile eſt. Sed à quâ causâ ſit: hoc difficile eſt. Vbi heic vel ſomnium modi, quem tu tibi fingis? An latet aliud quid? id vid. quod Ariſt. docet de ſomno, 3. cum ait, Somnũ eo modo fieri, quo Epilepſia? Ego certè pro confirmandâ meâ ſententiâ, ita induco. Quemadmodum ſomnus fit, aſcendentibus ad cerebrum vaporibus benignis, & relabentibus (non ad cor, ut parum attenti volunt) ad ſenſoria, præcipuè muſculos: ita Epilepſia fit, vaporibus malignis aſcendentibus ad principium nervorum, perque eoſdem iterum deſcendentibus ad muſculos, & ſenſoria reliqua.

63. Scio, corrugationem hanc ab Avicennâ eſſe: verùm tantum abeſt, ut autoritas ipſius vel transverſum digitum me moveat loco, ut, quoties video celebrari, exclamem, *Aquam ad manus!* Tam

enim mihi ſordet, ut Cerebro, Margaritave digniorē putem, quā tanto Philoſopho.

64. Vt pauca dicam. Quo modo motum univocum prȩſtare poteſt, quod non, niſi æquivocè, natum eſt movere? Certè, cerebrum non niſi æquivocè, ſeu naturaliter movetur ad expellendum: quo ergò modo movet muſculos univocè?

65. Sed ſit, In motu univoco oportet proportio ſit inter movens & motum. At quæ eſt proportio inter movens æquivocum, & motum univocum? Vt intelligas, Quæ trahunt è longinquo, mediante corpore alio, oportet & proportionē inter ſe habeant, & corpus medium tale ſit, quod ſufficiat moli. Saxum centū librarum ego non movero: ſed neque filo traxero, ſi omninò alias ſufficerem.

66. Vno verbo, ut omnia rectè ſe habeant, falſæ ſunt duæ hypotheſes; altera, in ventriculis fieri ſpiritus; altera nervos trahere adinſtar habenarum. Sed & hoc falſum eſt, ut dixi, Nervos cum ventriculis eſſe continuos.

67. Quid igitur? Rem videmus: quæ cauſa rei? Apud me res expeditiſſima eſt, quam non ſemel dixi, Quod in motu ſ.n. eſt ſpiritus, inflans muſculum, ut vectis inſtar rigeat: id in motu p.n. eſt vapor, ſpiritum naturalem mentiens. Vtrobique

que nervus ſuum habet officium, eſſe tubi inſtar. Et huc animus humanus ſe penetrare poteſt. Hoc ipſum non eſt novum, ſed à veteribus perſpicuè doctum. Si probabile tantum eſt, ſatis eſt, ſiquidem Platoni credimus.

68. Ergò de partibus affectis jam certi ſumus? Vtinam! Ingerit enim ſe Quercetanus, Tetrade. 8. & Cor ſufficit Cerebro. Quâ in re cum Peripateticum ſe præſtet, videre oportet, ſi quam gratiam in arte noſtrâ mereatur. Niſi penitiſſimè fallor, longius nos abducit, quam par eſt: Scimus, quid in motu ſ.n. faciat cor: nos eò non pertingimus, ſed in cerebro ſtamus, præterquam in unico caſu, qui eſt, Si cor ſit pars mandans.

69. Heic video τῦ ἐμπαλιν proceres interceſſuros ex 3. Part. 4. 4. Part. 2. Cor non poſſe tolerare vitium ullum grave. Quibus ego recentiores oppono obſervationes, quæ docuerunt, Tumores, abſceſſus, vermes, calculos, excreſcentias carneas, & alia talia diu pertuliſſe. Horum ita affectorum pleroſque, vel epilepſiâ laboraſſe, vel palpitatione cordis, affectu vicino, ut conſtat ex iiſdem obſervationibus: ita velim mitius agi cum Quercetano, homine non malo, ut deſcripſerunt illum mihi amici.

70. Vel-

70. Vellem etiam perſuadere ſibi patiantur, non nugari illum planiſſimè, cum ſcribit, Facultates principes manſiſſe in quibuſdam integras. Scripſit enim procul dubio, quod vidit. Si enim motus abeſſe poteſt: quidni vel interni, vel externi ſenſus aliquando poſſint illæſi eſſe? Quare, ut aliud nomen non habet epilepſia, quæ nihil depravationis oſtendit in motu: cur aliud detur illi, in quâ vel hi, vel illi ſenſus vigeant, vel debiles tantum ſint?

71. Et hoc eſt, quod Avicenna ait, ſi epilepſiæ jungatur ſyncope: non ob id deſinit eſſe epilepſia. Puto autem id fieri in ſolo illo caſu, quem propoſui, non quod facultas vitalis in conſenſum rapiatur: ſed contrà potius.

72. Quamobrem, ſi verum eſt, Mentis, ſenſuumque læſionem ex eventu conjuncta eſſe in epilepſia: non video, quomodo non poſſit alterum abſq; altero eſſe?

73. Quo dato, quis erit proprius epilepſiæ character? non opus eſt ullo: ſed eſt epilepſia, ſive adſit alterutrũ ſive utrumq;.

74. Multo minus opus eſt alio nomine.

75. Multò minimè fit convulſio particularis, quę appellatio jam occupata eſt.

76. Neque ulla neceſſitas eſt, neque ulla perſeitas, conjungi utrumque. Experientia enim aliud ſuadet. Imò verò, dicit.

Niſi

Niſi motus depravetur, ſed pereat, eadem erit cum apoplexiâ: Non ex ſolâ motus abſentia judicatur apoplexia: alioquin & paralyſis & catalepſis eſſent apoplexiæ.

77. Sed neque perditio dici ullâ ratione poteſt abſentia motus depravati in epilepſiâ. Malum enim lenius fit, cum abſunt ſymptomata quædam.

78. Quare iterum dico, Epilepſia ſuum habet characterem, ſi omninò ita me loqui vis, ſive detentio mentis ſola adſit: ſive ſenſuum externorum ſola: ſive motus depravatus.

79. Quæſtio illa inconſultò intruditur, An in apoplexiâ ſenſus interni ad ſilentium adigantur? Dico breviter, Non poteſt ſimpliciter reſponderi, ſed opus eſt diſtinctione, ut in Epilepſiâ. Alias, quæ erit diſtinctio quatuor apoplexiarum, 2. Aph. 42? Scio, Galenum alligare ad reſpirationem ſolam? ſed ſcio etiam, prudentiores quoſdam ad alia quoque ſymptomata reſpicere.

80. Quid verò Noſter? Cum applicuiſſet ſe putidæ *Obſtructioni* & *Semiobſtructioni* ventriculorum, mox lapſare incipit cum Gal. cujus ille conſilium nunquam intellexit. Id fuit fortè, ut innui ſuprà, Cum ſeculo illo non minus graves eſſent concertationes, tam in Epilepſiâ, quam

in

in Apoplexiâ, Ventriculiſne cerebri, an corpori debeantur? quam hodiè: conjunxit 4. Loc. aff. 2. ut ab utriuſque partis telis immunis eſſet. In utroque, inquit, & corpus eſt affectum & ventriculi, ſed hac differentiâ. In apoplexiâ corpus potius eſt affectum, minus ventriculi: in epilepſiâ contrà. Hoc verò per rerum naturam fieri non poteſt, & qui id clamitant, pſittaci ſunt.

81. Cum enim certum ſit, alii uſui corpus ſervire, alii ventriculos; cui ex his debetur ſpirituum elaboratio, ei debebitur uterque morbus. At corpori deberi, quemadmodum ventriculis excrementorum collectio, vacuatioque, tam manifeſtis probatum eſt argumentis à bonis, ſapientibuſque, ut non niſi arrogantis ſit, aut ſtulti, reſtitare velle ulterius.

82. Vterque ergo morbus eſt corporis: veruntamen hac differentiâ. Apoplexia fit ab humore, uno verbo, à ſanguine, in plethoricis, quod probabitur: Epilepſia fit à vapore, quem Pelops vocabat πνευματικὴν ὀυσίαν, ὥσπερ ἄυραν, 3. Loc. affect. 7.

83. Heic quam pulcrè ſtat Ille? Primum enim ait, In corpore reſidere facultatem: deinde, In ſuperioribus ventriculis ſolis ſpiritus generari. Poteſtne alibi

Facultas

Facultas eſſe? alibi *Spiritus*, facultatis bajulus? Et quid ſibi vult & *Solis*? Cum enim in ſe coëant duo illi, coituſque conſtituat tertium, qui ipſe conſtituit Infundibulum, quis mihi ſpondeat, ſpiritus elaboratos non dilapſuros per os ſphenoides in palatum? tantò facilius, quo majora foramina tribuit illi Gal. quanta ſc. in ethmoide? Ach nein / ſie hupffen hinüber!

84. Sed tranſeat. Cum dixiſſet, Epilepticos nullo ſenſu quidquam percipere: non veretur poſteà affirmare, tactus ſenſum cerebro ſupereſſe, ut rationem reddere poſſit τοῦ κλόνου. Atqui, dico ego, cerebrum ipſum eſt inſenſile, de Chirurgorum obſervatione.

85. Dicat, Quam ergò tu cauſam dabis τοῦ κλόνου. Aliud eſt cauſam dare motus cerebri expellentis, qui æquivocus eſt: aliud muſculorum, qui univocus. Hic opus habet ſenſu: ille non. Si diſplicet hoc, Vtrobique motus fit à vi externâ, & ſenſu opus non eſt. Interim loqui nobis ita licet, fieri hos motus ab naturâ expellente, quod noxium eſt.

86. Atqui dolores habent intenſiſſimos? Neſcio, an de omnibus ſit verum. Acu enim puncti, non ſentiunt. An in quibuſdam hoc eſt, in quibuſdam illud? Vt enim ſuprà dixi, Supereſſe quandoque tactum,

tactum, abſurdi nihil eſt. An habent ſenſum,ſed non percipiunt:quia ſenſus communis laborat? An poſt paroxyſmum demum percipiunt violentiam vaporis perrumpentis?

87. Hinc lux accedit illis, quæ ex Avicennâ, Heurnio & Capivaccio afferuntur. Reverà confunditur motus naturalis cerebri cum motu animali muſculorum. Sed nec poteſt naturalis ciere animalem, niſi mediante vapore, qui per nervos illabitur. Quæ de voce ſuperſtite dicuntur, pendent à reſpirationis parte illâ, quam Naturæ deferimus. Hinc enim vis illa, *Neceßitas* illa, ut cum Gal. loquar, quam Calor ebulliens affert. Hoc ipſum innuit potius,quam dicit.

88. De Eraſto & Fontano (addo ego Platerum & Ioub.) rectè ait, *Nimis cum imperio agere.* Rectè etiam colligit duo abſurda. Phantaſiâ enim ſublatâ neceſſariò ſequetur delirium. Sed neque ratio dari poterit, cur, abolito ſenſu, maneat motus. Subſunt verò multa alia abſurda, de quibus heic cogitari non poteſt.

89. Rectiſſimè Galeno negat, Epilepſiam per conſenſum mitiorem eſſe illâ, quæ per eſſentiam. Non minus rectè Maſſariæ, ſpecie differre illam ab hac. Similitudo enim ſymptomatum identitatem nobis extorquet.

90. Con-

90. Contrà,immenſum fallitur,I.Cum morbum,à quo ſymptoma pendet, à *Repletione* & *Inanitione* petit. Inauditum enim eſt,hæc duo πάθη morbos eſſe. II. Cum obſtructionem ſuam probare vult ex ſpumâ copioſâ,quæ poſt paroxyſmum prodit. Si enim vera cauſa eſſet, ſemper fieret, non *Interdum*. III. Cum qualitatem dolorificam & venenatam oſtentat nobis,nec ſe explicat, qualis & quanta ſit illa. Reverà, nihil docet, qui ita docet. IV. Cum materiam *vaporoſam* & *humoroſam*, *vaporem* & *humorem* indiſtinctè projicit. Quaſi *vapor* & *humor* poſſit idem. V. Cum vaporem credit facere Epilepſiam benignam.

91. Galenum non ſatis excuſat, cur ille ſolius *Obſtructionis* meminerit? Quaſi vaporis noſtri non meminerit! Multò minus,cur humorem craſſum admiſerit? Quaſi epilepſia per conſenſum aliter fiat, quam illa,quæ per eſſentiam! Quaſi craſſus humor ullo modo facere poſſit epilepſiam! Quaſi in ventriculis ulla culpa ſit! Et quid hoc verbi eſt, *Vapor obſtructioni minus aptus eſt?* In corpore,inquam, cerebri.

92. Compreſſio non eſt cauſa proxima,ſed remotiſſima. Facit illa dolorem: dolor irritat ſanguinem ad fluxum: fluxus

xus facit inflammationem : inflammatio ſuppurata emittit de ſe vaporem putridum : qui denique Epilepſiam cauſatur. Hoc declaro pulcerrimâ hiſtoriâ ex 5. Epid.49. apud Valleſium. Puella 20. annorum, latâ manu percuſſa fuerat ſinciput, ſed per jocum. Hæc cum procul dubio eſſet ex numero illorum, quibus Fontanella illa tardius ſolidatur, inter quos profiteor meum nomen, ut & filiæ meæ SABINÆ, ſtatim laboravit vertigine tenebricosâ cum difficili reſpiratione. Hunc ego affectum de Epilepſiâ leviori interpretor, Vall. de Catocho. Poſtquam domum venit, inflammatio ſucceſſit, non ſine febre, quæ inflammatio 7. die, abſceſſu facto, per aurem dextram pus emiſit. Verum, ſuperveniente fluxione novâ, inflammatio & febris rediit, acceſſere convulſiones (ita enim Vall. rectè explicat τῦς τρόμυς, quemadmodum apud Ariſt. quoque explicandum eſſe dixi ſuprà.) novâ die eſt mortua.

93. Hæc hiſtoria maximi eſt momenti, & admonet me non diſſimilis, quam commemorabo. Quo tempore peſtilentialem heic agebam, anno 1607. in Bacchanalibus, ictus fuerat adoleſcens quidam, IOH. FISCHER, Oetingenſis, circa mediam noctem clavâ ligneâ (noſtri

ſtri vocant ein Böheimſcher Ohrlöffel/) ſupra tempora dextra, qui poſt ſex horas inventus fuit mortuus in lecto. Triſte ſpectaculum! Iuſſi ſumus ab Senatu Academico, CL. DD. SONERVS, collega poſteà meus, & ego, inſpicere cadaver, & caput aperire. Ingredientibus ſtatim apparuit ſpuma circa os copioſa, tempora dicta livida, cum manifeſtâ loci depreſſione. Heic, inquam ego, eſt ſedes mali: oportet aperire caput! Cum igitur chirurgi, factâ cruciformi inciſione, cutim detraxiſſent, in calvariâ apparuere duæ rimæ, quarum altera ſeſquipalmum lata erat, altera paulò brevior. Ablatâ paterâ, altera quidem illa, & longior penetrabat tabulam utramque: hæc autem extimam tantum. Inter cranium & duram matrem tantũ erat ſanguinis extravaſati quantũ utraq; manu cava exhaurire non poſſet chirurgus, cerebrum ſubtus lividum. Quod verò omnem ſuperat admirationem, eo ipſo loco, ex adverſo fiſſurarum, dura mater tota erat oſſea, Thaleri amplitudine, quaſi Natura prævidiſſet ictum. Hoc os ſecum habuit D. SONERVS, & ſtupentibus multis oſtendit.

94. Superiori anno 1638. cum ruſticus, in vicino pago Raſch/ aggrederetur

alterum

alterum ligone; is verò perticâ illum protruderet: accepto levi vulnuſculo in facie ſiniſtrâ, eâ parte, quâ Μῆλον dictum eſt, ſupinus cecidit. Accerſitus hinc, ſexto demum die, chirurgus, tractavit ut potuit: verum, ſupervenientibus cum aliis, tum Epilepticis ſymptomatis, mortuus eſt. 11. die. Rogatus à magiſtratu opidano, adſtiti chirurgis caput aperientibus. In malo quidem fiſſura nulla: in cerebri autem parte imâ, quà proceſſus mammillares ad nares ſunt, inflammatio. Quod verò mirandum, In occipite, κατ' ἀπήχημα, inflammatio altera. Heic à putreſcente utrinque ſanguine exiiſſe vapores ad nervorum principium, & Epilepſiam civiſſe, quis non videt?

95. Διάθεσιν φλεγμονώδη Gal. 2. Aph. 42. dum huc faceſſere jubet Noſter, ſuo more facit. Non enim Gal. de epilepſiâ agit, ſed de apoplexiâ. Interim de epilepſia quoque dici poſſe, vel duæ hiſtoriæ allatæ evicerint. Cæterum habet illa διαθέσεις denſas difficultates. Ego in Patholog. c. 108. penè dubius fui, quò me verterem, quod utrinque probabilia dicantur. Nunc conſtitutum eſt mihi ire ad eos velle, qui de ipsâ phlegomone accipiunt. Inflammatio incipiens quidem facit Apoplexiam, cum fuſus à calore ſanguis

Torcu-

Torcular occupat confertim : paulò progreſſa autem Epilepſiam, cum exhalantes à putredine vapores ſtipant nervorum principium. Heic quis non videt, anguſtiâ ventriculorum opus non eſſe?

96. Tamen cum defendere vellet Ille, occinit nobis cantilenam, ad quam aures noſtræ jam pridem occalluêre, *Non oportet*, inquit, *vel obſtructio, vel compreſſio tanta ſit, ut integram faciat anguſtiam: fieret enim apoplexia*. Hui, tantumne? Profectò, abſque Fernelii fulcro ſi eſſet, jam dudum heic pronus cecidiſſet in terram. Quod cum metueret fortè, tantum non Geometricam inſtituit dimenſionem facultatis robuſtæ & imbecillæ, materiæ paucioris & copioſioris, ſenſus acuti & obtuſi, ſenum & juvenum. Quam cum intueor, non poſſum non ſuaviter ridere, licet valdè indignaturus ſit. Sapiunt enim πολυλογίαν quandam rerum inanem, propriam illi. Ad eandem refero patientis diſpoſitionem, quæ actionem variet, pro naturæ reſiſtentis vi, &c. Dici quidem poſſunt hæc pro cathedrâ, in facie juvenum rudiorum : in rei veritate vanitates ſunt.

97. Porrò, cum Gal. pugnantia videatur ſcribere, cum 2. Cauſ. ſym. 2. & Trem. & Palp. 5. materiam flatulentam cauſetur;

tur; at.3. Loc. aff. 5. humorem craſſum, frigidumque: conciliationem quærit bellatulam. *Galenus*, inquit, *obſtructionis tantum, non materiæ obſtruentis indicium capit á ſubitâ invaſione*. Subtilitas altero Scaligero digna! Poteſtne obſtructio ſeparari à materiâ obſtruente? Certè Gal. non potuit, cum *παχὺν χυμὸν ἐμφράττοντα* cauſatur, *ἢ φλεγματώδη χυμὸν ἐν κοιλίαις συναθροισθέντα*.

98. Sed abeat: Quid illud ad rem, quod ait, *Cum aliæ quoque cauſæ repentè incutiant*? Non quærimus, ex quot, quibuſve cauſis repentinæ morborum invaſiones accidant: hoc quæritur, an in Epilepſiâ craſſus humor id poſſit? Nego ego, propter duas cauſas, Ventriculi non ſunt officinæ ſpirituum: ex motu ventriculorum non poteſt reddi ratio motus muſculorum. Quid illud verò eſt, *Niſi de partium ſequiorum affectu, & ſolutione morbi per concoctionem accipiatur*? Si non vis intelligi, debes negligi. Video equidem, te *ſequioribus* opponere cerebrum, partem principem, in quo ſint hi duo morbi: at hoc eſt probare idem per idem. Quid verò? Cum apoplexia deſinit in paralyſin, fitne per concoctionem? *Minimè*, inquis, Hem tibi materiam concoctionis expertem! At tu *Concoctionem* præmiſeras.

Sed

Sed cupio audire id, quod nuper dixi, Quæ via ex ventriculis eſt in nervos? Hanc ſi oſtenderis, Dædalus mihi alter eris. Et quid ſibi vult τὸ *Aliquando*? Eſt labantis, & errorem confitentis.

· ἄλης τῆς σπουδῆς· ἴσως δὲ καὶ ἄγαν.

99. An Hermetici quoque nobiſcum ſunt, ſi demas verborum monſtra? Vnius ex illis hæc ſunt verba. Hermeticis *epilepſia fit ex vapore Mercuriali vitriolato, qui ex humore tartareo, aut mucilagine æruginosâ exſpirat, & vitrioli tincturas & impreſſiones circumfert, quas exhalando temporis intervallis malignas, acres, acidas, ſpiritibus vitalibus animalibus facilè commiſcet.*

100. An cum deſeruiſſent homines noſtri flatus veterum, ex quibus ad omnia ſymptomata reſponderi poteſt, ortæ ſunt hæ fluctuationes? Quidam enim ſecuri rerum omnium, diſſimulârunt motum muſculorum. Quibuſdam ſatis fuit dixiſſe, ſequi motum cerebri. Eraſtus, fiduciam in Philoſophiâ ſuâ habens, conatus eſt ad motum naturaliter ſe habentem reducere. Cui cum multa objicerentur obſtacula, imprimis, cum ſimilitudinem motus epileptici cum naturali probare non poſſet: tubicinem ei ſubjecit Platerus. Hoc cum paulò minus quam

K Tragi-

Tragicum ſit, commendo iis, qui falſa malunt defendere quam vera. Ii verò ſciant illud, *Maledictus, qui opus DOMINI facit fraudulenter.* θεὸς γὰρ οὐ μυκτηρίζεται.

De Apoplexiâ idem tentatum,
CAPVT. XIV.
ΘΕΣΕΙΣ.

§ 1. QVia toties jam facta eſt mentio hujus mali, & eſt tantum non ἠδελφισμένον Epilepſiæ, ut verbo utar Hippocratico; age heic quoque aliquid tale meditemur.

§ 2. τὸ ἀποπλήτῳ erat olim * proprium victimariorum, cum animalia ſacrificanda ſecuri in fronte tam validè percuterent, ut ſubitò conciderent. Hæc animalia cum dicerentur ἀπόπληκτα (τὸ ἀπὸ enim intendit) dicti quoque inde fuêre hominum illi ἀπόπληκτοι, ἢ ἀποπληκτικοὶ, qui ſubitò conciderent ἀναίσθητοι καὶ ἀκίνητοι. Hinc affectus ipſe ἀποπληξία ἢ ἀπόπληξις.

§ 3. Non diſſimile quid cum obſervarent fieri, & in animalibus & in plantis, βλητὰ ἢ ἀςρόβλητα (ἄςρον autem *Sirius* eſt, ſeu *Canicula*) vocarunt illa, trans-

*Nomen.

tranſtuleruntque id quoq; ad hunc morbum, qui appellatus eſt ἀστροβολισμὸς, quemadmodum ita affecti, *Siderati* & *Attoniti*.

§ 4. Eadem affectio cum in plantis σφάκελος ἢ σφακελισμὸς diceretur: deducta fuit appellatio ad animalia, ſubitò quaſi mortua collabentia. Et de hoc malo accipio Hipp. 7. Aph. 50. licet Gal. aliò tendat. Hoc additum velim Foëſio in σφάκελος.

5. Porrò cum Apoplectici jacérent immobiles & inſenſiles, quomodo etiam *Paralytici*: orta fuit inde confuſio *Apoplexiæ* cum *Paralyſi*.

6. * Hac in re cum multum interſit Practicis: ſolent illi magnoperè ſoliciti eſſe, ut diſtinctio inſtituatur, non ſolum inter duos dictos affectus, ſed & vicinos alios.

7. Cum *Paralyſi* ſolam ſymptomatis ſimilitudinem habet. At verò cauſæ ſunt longè diverſiſſimæ. In *Apoplexiâ* ſolus eſt defectus ſpirituum, cum à cerebro nihil influit, illæſis interim nervis & muſculis. In *Paralyſi* quæ ut plurimum ſuccedit, ferè ſola ſpinalis medulla laborat, cum ortis inde nervis, muſculis ipſis illæſis. Propterea etiam ſoli ſpinæ debentur medicamenta topica.

* *Diſt. à vicinis affectibus.*

8. *Apoplexia* eſt mera obſtructio, facta à multo, adeoque laudabili ſanguine incumbente non ventriculis, ſed eâ cerebri parte, quà *Torcular* Herophili eſt. *Paralyſis* etiam eſt obſtructio, ſed ſpinalis medullæ, nervorumque ab eâ orientium facta à parte ſeroſâ ſanguinis illius, qui apoplexiam patravit, quod ſerum, quia frigidum & humidum, unà cum obſtructione ſimul adeſt intemperies frigida & humida.

9. Ab *Epilepſiâ* ut diſtinguant, multi multa audent. Cauſam difficultatis faciunt ſibi ipſis, cum deducunt utrumque affectum à fictitiâ illâ ventriculorum cerebri obſtructione. Res eſt. Vtrobique eſt *Obſtructio corporis*, quatenus id ventriculis opponitur, aut potius vaſorum, per ſubſtantiam cerebri diſperſorum. Rurſus, In *Apoplexiâ* ſeorſim, eſt obſtructio à ſanguine, ut dixi, laudabili: in *Epilepſiâ*, à vapore. Is eſt duum generum. Aut enim peccat manifeſtâ qualitate, caliditate, ut ferè in pueris: aut occultâ, quæ eſt à totâ ſubſtantiâ, quæ & in pueris, & in aliis ætatibus locum habet.

10. In *Epilepſiâ* eſt jactatio artuum convulſiva ut plurimum, quâ abſente, ſatis eſt, ſi vel omnes ſenſus aboleantur debilitenturve, vel aliqui tantum. Et hoc

ocant

vocant noſtrates, ut dixi, das ſtille fraiſchlich.&c. In *Apoplexiâ* eſt inſenſibilitas, iterum ut plurimum. Vtrobique reſpirationis aliquid ſubeſt, cum ſpumâ ferè in ore. In *Epilepſiâ* ſeorſim, ut plurimum adeſt vociferatio incondita.

11. A *ſuffocatione uterinâ*, quod alia etiam, ſatiſque horrenda adſint ſymptomata. *Epilepſia* verò cum adeſt, eſt ipſa quoque à vapore maligno, ex uteri intemperie aliquâ ſublato.

12. A *Caro* facilè diſtinguitur, ſi reſpiratio ſit naturalis: ſin, fortaſſis eſt *Apoplexia debilis*. Id non niſi à poſteriori citur. Si enim perfecta ſuccedit ſanitas, *Carus* fuit: ſi *Paralyſis*, *Apoplexia*.

13. A Syncope ſimpliciter dictâ diſcriminatur, quod tam pulſus, quam reſpiratio penè totaliter ſint ablata, ita tamen, ut ferè non diu duret. A *Syncope* dictâ cum additione *Cardiacâ* quomodo differat, diu & anxiè quæſivi apud Practicos.

14. Cęterum, quia ex ſolo Gal. didici andem, nullam majorem eſſe affinitaem, quæque magis decipiat, quàm illa, uæ eſt inter *Apoplexiam* & *Syncopen* im dictam *Cardiacam*: operæ pretium ecerim, credam, ſi pluſculum immorer, el ideò, quia noſtratibus tantum non ncognita eſt,

 15. Hanc

25. Hanc demonſtro, partim ex hiſtoriis, partim ex Gal. Hiſtoriæ docuerunt, quoſdam ſubitò & ſine ſtertore mortuos, inventos fuiſſe corde ſanguini prorſus innatante, ſalvo, ut puto, cerebro.

16. Gal. explicans ἀφωνίαν Hipp. 4. Acut. 23. ſequi ait illam tres affectus, *Epilepſiam, Apoplexiam, & Syncopen cardiacam*. *Epilepſiam* intelligo illam, quæ eſt à manifeſtâ qualitate, uno verbo, à caliditate, cum ſanguis bilioſior vapores dat acres, dirum iſtum affectum cauſantes. Hoc ut plurimum accidit pueris habitioribus, quos ſolis refrigerantibus curamus. Et hæc ſola Epilepſia rectè dicitur morbus puerilis, ſeu infantilis.

17. *Apoplexiam* accipio illam, quam *Sanguineam* noſtri vocant, quamvis præter eam nulla alia ſit, ut dicam.

18. *Syncopen Cardiacam* (aliquando Cardiaca ſimpliciter dicitur.) cum ſit, quod dixi. Nimirum, ἡ καρδία heic non eſt os ventriculi; neque eadem eſt cum *Syncope ſtomachicâ*: ſed cor ipſum.

19. De hac verba ſunt Gal. 1. Cauſ. ſym. 7. L. *Syncopas cardiacas* fieri, affecto principio, quod in corde eſt. Quod illud verò eſt? *Calidum nativum*. Quod quo alio modo ſubitò exſtingui poteſt, quam ſi ſanguis, diluvii in morem, illud inundet?

Hoc

Hoc genere mortis obiiſſe credo duos magnos in Rep. noſtrâ viros, REMVM & PICCARTVM, quorum alibi commemini.

20. Idem, 2. Aph. 21. *Syncopis Cardiacis* è regione ponit *Syncopas fortes*, de quibus Hipp. ibi.

21. Idem 5. Loc. aff. 2. C. gladiatores quoſdam ita interiiſſe ſcribit, ut ii, qui *Syncopa cardiacâ* laborant. Puto ego, approperante ſanguine ad futuram inflammationem.

22. Hinc ego colligo hoc πόρισμα, Non omnes, qui ſubitò moriuntur, apoplectici ſunt. Ideò ſæpè falli Anatomicos neceſſe eſt, qui in ſolo cerebro, & præcipuè in ventriculis, cauſam indagant.

23. An ratio diſtinctionis eſt? In Apoplexiâ quantumvis forti ſtertor eſt, quamdiu id, quod è cerebro, ad complementum reſpirationis, ſubminiſtrari ſolet, non adeſt. Calidum enim ebulliens durat aliquantulum, pro obſtructionis magnitudine. In ſyncope cardiacâ nullus eſt ſtertor, quia ſtatim exſtinguitur Calor, non ſecus ac ſi quis ignem parvum multâ refutet aquâ, ut cum veteri Poëtâ loquar.

24. Hoc ſi locum invenerit, falſus erit Gal. 2. Aph. 42. cum maximam apople-

xiam vocat illam, in quâ reſpiratio prorſus ſit abolita. Eſt enim hæc ſyncope, de quâ agimus. Hac in re ſi quis quid melius ſtatuerit, id ratum eſto.

25. * Conſectarium hujus erit, ut non niſi duæ ſint Apoplexiæ ſive gradus ſive ſpecies, 2. Aph. 42. debilis & fortis. Hæc cum inſigni ſtertore eſt, quæ etiam finit intrà paucas horas. Illa cum mediocri, quæ etiam ut plurimum ſalutaris eſt, ſi modò ſalutare eſt, quod finit in paralyſin. Horum aliquot, immediatè ante caſum, retuliſſe ajebat D D. Strobelbergerus, cum apud nos exſularet, ſenſiſſe in ſe inſignem vim alvi deponendæ.

26. Interim, pro tertiâ ſpecie haberi poteſt *Apoplexia parva* dicta, cum, ablato motu, ſenſus ſupereſt; quam inter alios habet Spigelius noſter: 2. Semitert. 16. & habet pro morbo novo.

27. Et hæc prima eſt differentia à magnitudine: altera petitur à loco affecto. Apud Gal. alia eſt in ventriculis cerebri: alia in vaſis colli, in venis jugularibus, arteriiſque ſoporalibus. Illa deſcribitur. 3. Loc. aff. 10. D. 3. Aph. 23. extr. hæc 4. Acut. 23. & 27.

28. Quo ex loco ingens oritur dubium. Cum enim textu priore ad plethoram referat, atque ideò ad cauſam cali-

Differentiæ. dam:

dam : quei textu poſt. referre poteſt ad frigus ? Vt ne dubites. Cum dixiſſet, ὡς πνίξεις τοῦ αἵματος fieri tam à ſiccitate, quam à frigore: ſubdit, *Non eſſe heic à ſiccitate, ſed à frigore.*

29. Quod difficultatem auget, De Cauſ. morb. 3. D.E. cum Apoplexiam fieri dixiſſet ὑπὸ τῆς ἐσχάτης στεγνώσεως, *ab ultimâ ſtipatione* ut Int. ait, citat locum illum Acut. & Apoplexiis jungit κάρους καὶ κώματα, *affectus*, de ſententiâ omnium, *frigidos.*

30. Quid pro Gal. dici poſſit, non eſt mihi curatio : contra Gal. diſertè dico, Neuter locus affectus ſtare poteſt. Non prior. Si enim in ventriculis ſpiritus non elaborantur ; neque vero ex ventriculis ulla via in nervos eſt : non poſſunt etiam ventriculi cauſare apoplexiam. Non poſterior, ex eodem fundamento. Si enim ventriculi non faciunt ſpiritus : defectus materiæ ſpirituum non poteſt etiam cauſa eſſe apoplexiæ.

31. Hoc ipſum dico contra 4. Præſ. puls. 11. ext. ubi jungit utrumque locum affectum. αἱ δ' οἷον πνίξεις, ταῖς τε πληρώσεσι τῶν κοιλιῶν αὐτοῦ, καὶ ταῖς ἐμφράξεσι τῶν εἰς αὐτὰς ἐχόντων πόρων. *Q. d. Vtrobique eſt obſtructio, heic quidem ventriculorum : illeic autem, vaſorum ad ventriculos*

pertinentium, quæ ſunt jam dicta, non ſine tamen reti mirabili & plexibus ſecundini formibus. Dico, inquam, Quia in ventriculis ſpiritus non gignuntur, vanus etiam heic eſt labor omnis. Vnde pateſcit, hanc differentiam eſſe planè nullam. Indidem claret, & tertiam differentiam, cum dicant, Apoplexiam aut per eſſentiam eſſe, aut per conſenſum, nullam eſſe.

32. Quarta differentia ſumitur à materiâ. Quædam enim dicunt, eſt ab humore craſſo, frigidoque, 3. Loc. aff. 7. 4, Loc. aff. 2. 8. Vſ. p. 6. Quædam à ſanguine, 4. Acut. 23. Cur. per V.S. 5. extr. Verum enim verò, quia ventriculi jam ſunt exploſi, cadit etiam commentum de humore dicto. Et eſt alioquin res nimis popularis, magnam obſtructionem non fieri, niſi à craſſo corpore, proportionato ſcil. magnæ cavitati.

33. Quin Gal. in 4. illo de Loc. aff. non obſcurè deſerit, & ventriculos, & materiam præſcriptam, cum concedit, Apoplexiam partim in ventriculis eſſe, partim in corpore cerebri, quo modo ſcil. Epilepſiam quoque, cap. ſup. D. 80. Reverà, ut ibi dixi, Vis hæc eſt Adraſtéas, cujus fulgorem cum ferre non poſſet, manum prætendit faciei, & fugit.

34. Quando igitur Ille, profligatiſſimus

mus juxtà & occiſiſſimus eſt, tam in loco affecto, quam in materiâ, quid faciemus? Vtemur humanitate priſtinâ, videbimuſque, An non ex aliis locis exculpi poſſit quid Veritati amicum?

35. Horum primum eſto, quod jam dixi, Quia Gal. quaſi in bivio Herculis ſtat nutabundus, rapiemus illum ad nos, oblivione traditis omnibus iis, quæ de ventriculis, ex alienâ ſententiâ, loquitur cum hac deciſivâ, *Eſt in corpore.*

36. Hac in re ſpero faciliorem illum habebimus, ſi illi ob oculos ponemus τὰς τῶν φλεβῶν ἀπολήψιας, τῶν πνευμάτων οὐ δυναμένων ἐν αὐτῷ (ἐγκεφάλῳ) τὰς κατὰ φύσιν ὁδοὺς βαδίζειν, ut loquitur autor. 4. Acut.23. & 27. Tunc vid. venas dici intercipi (fieri ἀφωνίαν ἢ ἀποπληξίαν) cum ſpiritus non poſſunt liberè permeare. Hoc enim in vaſis fit, non in ventriculis. Hunc ſenſum cogemus illum acceptare, quia ipſemet πληρώσεις τῶν φλεβῶν loquitur, non κοιλιῶν, & addit, διὰ πλῆθος γινομένας. πλῆθος autem ἢ πληθῶρα tantum abeſt ab humoribus craſſis, frigidiſque, quantum ego Româ.

37. Dicis fortè, * *Quæ ſunt illa vaſa?* Olim cum Com. in l. de Vſ. part. ſciberem, & duplicem agnoſcebam Apoplexiam, & duplicia vaſa, altera quidem

* *L.8.n.564.*

deſcendentia, *Sinus* & *Ductus* ab Anatomicis vocatos: altera autem aſcendentia, *Venas jugulares* cum *arteriis ſoporalibus*, *Rete mirabile*, & *Plexus chorioidēīs*. Nunc, abdicatâ ex toto Apoplexiâ hac poſteriori, quam per conſenſum vocant alii, recipio priorem, cum hoc additamento, *Ne Torcular Nymanni poſthabeatur*, quod ille doctis exhibuit, primum in D. anni. 1619. deinde in tract. integro, 1629. VVitebergæ. Hinc enim præcipuè pendet ſubitus ille Apoplecticorum caſus.

38. Hac ratione ſi abſolvimus nos à ventriculis, & verum locum affectum oſtendimus: abſolvimus utique nos ſimul ab humoribus craſſis, frigidiſque & ſanguinem amplexavimus.

39. Hoc ſi parum videbitur, hem tibi etiam hunc alterum locum, omni Sole clariorem, ἐν τῷ θεραπευτικῷ περὶ φλεβοτομίας, quem ego librum cum Int. laudare ſoleo, De Curat. per Venæ ſectionem, c. 5. ext. in genere quidem de apoplexiâ, ait, αἱ γοῦν ἀποπληξίαι κατὰ τοῦτον γίνεται τὸν τρόπον, ἐπὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ ζώου ῥυέντος αἵματος πολλοῦ: mox autem in ſpecie ſe explicans, de duplici plethorâ ait, facere ἀποπληξίας, καὶ τὰς ῥήξεις τῶν φλεβῶν. Certè, hic ipſe locus perſuaſit aliquibus *Apoplexiam ſanguineam*, quam ego unicam & ſolam agnoſco.

40. Si

40. Si velis ex abundanti addere τὴν διάθεσιν φλεγμονώδη 2. Aph. 42. poſſis ſine violentia.

41. His hoc modo obtentis, quidni inclamem iterum adverſarios meos? Aut herbam porrigite, ô vos tales: aut docete, quâ in re deterioris conditionis ſim, quam vos eſtis! Tamen, ſi volupe eſt vobis ulterius morari in cæno humorum vitioſorum, quos cloaca ventriculorum ſuppeditat, non invideo equidem vobis tam ſtultam ambitionem.

ΑΝΤΙΘΕΣΕΙΣ.

41. Heic primum omnium GALENVM & accuſo, & excuſo. Accuſo: quod. 2. Cauſ. ſym. 2. B. abſolutè dicat, Apoplexiam eſſe παράλυσιν totius corporis. Quin Diff. ſym. 3. E. addat, *Cum rectricis partis functionibus cohibitis*, ut verba Int. habent. Heic enim duo ſunt intolerabilia. Alterum, quod affectus duos, tantoperè à ſe invicem diſſidentes, confundit. Alterum, quod τῇ παραλύσει etiam tribuit τῶν ἡγεμονικῶν ἐνεργειῶν ἐπίσχεσιν.

42. Excuſo: loquitur cum vulgo, quod judicat rem ex ſolâ ἀκινησίᾳ καὶ ἀναισθησίᾳ. Ac ſi diceret, *Eſt illa paralyſis, quam vulgus dicit, cum ſimul læditur* τὸ ἡγεμονικόν.

43. Excuſo etiam contrà eos, qui.3. Loc.aff.10. A.volunt illum idem dixiſſe cum eo,quod locis jam cit.Expreſsè enim diſtinguit,cũ apoplexiam quidẽ toti corpori tribuit:paralyſin autẽ alterutri lateri.

44. Fortaſſis accuſare etiam ob id poſſit, quod nimis indulgeat vulgo, & hac ratione imperitos ducat in errorem. Non poteſt. Dat definitionem nominis, quę ſumitur à confeſsâ omniũ hominum ratione.Hoc notare volo eos,qui pro definitione eſſentiali habẽt.Hi ipſi in eo quoque fallunt incautos, quod non ſinunt illos pervenire ad eſſentiã utriuſq; morbi.

45. Qui 2. Aph.42. paralyſin viderunt,oportet valdè oculati fuerint. Oculatiores, ſi apud Celſum l.3. c.27.eandem vocem repererunt. Eſt quidem cap. ſeq. ſed cum vulgo loquitur, perinde ut Gal. Hujus rei argumentum ſit, quod addit, *Nunc utrumque paralyſin* appellari video.Eſt enim tacitè improbantis.

46. Qui docere nos volunt, *Apoplexiam* apud Hipp. eſſe ἀφωνίαν,nimis præcipites ſunt,inſpecto vid. uno tantum loco. πολύσημον eſſe dicere illis poterat induſtrioſiſſimus Foëſius, ſi eò demittere ſe voluiſſent. In 4.Acut. non uſurpare illum vocem in anguſtâ illâ ſignificatione, pro apoplexiâ ſolâ, autor nobis ſit idoneus

neus Gal. ipſe. De tribus enim morbis explicat, ut dixi ſuprà.

47. Miror, quas *Turbas* meditentur iidem, cum vident, Hipp. transferre τὸ ἀπόπληκτον ad paralyſin, & maximè ad particularem! Iſta non pertinent ad ſupinum & ambitioſum: ſed ad Foëſium aliquem.

48. Miror amplius, in quo Parnaſſo ſomniârint illimet, *Paralyſin unius lateris, Apoplexiæ ſuccedentem, diviſum ſaltem cerebrum torpidum habere!* Quis unquam ita locutus eſt? Imò, quis unquam vidit *Cerebrum per totum diviſum*? Hoc enim ſine violentiâ extunditur? Quis tandem paralyſin *ad cerebrum* retulit, quæ ad *ſpinalem medullam* pertinet? Nam hæc verè diviſa eſt, cujus diviſionis ratione fit paralyſis dextra & ſiniſtra.

49. Ad ſomnum cogor referre illud quoque, quod ex. 3. Loc. aff. 10. refertur. Cum enim hoc tantum Gal. dicat, Apoplexiam vocari πάθος, πάντων τῶν νεύρων ἀπολεσάντων αἴσθησίν τε καὶ κίνησιν: unde eſt id, *Non neceſſario aboleri omnes*? τὸ *Neceſſariò* quidem nuſpiam eſt: τὸ ἀπολεσάντων autem omninò offert mihi *Abolitionem*. Video, quid muſſent de *Reſpiratione*: hoc verò ab longè alio de clavo pendet, quem ego fixi ſuprà.

49. Vi-

49. Video etiam affirmare velle illos, *Principes facultates aliquando in hoc malo illæſas eſſe* : ſed cum addunt, *Licet de his ſenſui non ita manifeſtum ſit*, neſcio quid ſibi velint. An hoc? Inferioribus quidem in gradibus lędi dictas facultates: ſed ſenſum hoc non docere. Si enim quis ex tali apoplexiâ rediit ad ſe, & in ſe ipſo animadvertit: quo modo ſenſus non docuit? Et quid habemus, quod ſenſus non docuit?

50. De morbo acturus, mirificum facit prologum de laude ſcientiæ per cauſas, à quo ſubitò feſtinat ad locum affectum.

51. Rectè quidem ratiocinatur cum Gal. Cerebrum eſſe affectum: ſed non rectè aſpellit Cor. Problematum quidem opus, exotericum quippe, non magni facio: vellem autem legiſſet, quæ ego ſcripſi alibi pro Ariſtotele.

52. Non minus vellem, conſideraſſet paulo attentius, quæ ex Avicenna, Solenandro, Iouberto, aliis, annotata mihi ſunt, Obſervatum fuiſſe, morbos cerebri felicius curatos fuiſſe, habitâ cordis quoque ratione Et quei per rerum naturam fieri aliter poteſt, ut, affecto organo proximo, non afficiatur etiam remotum? Eſt enim catena quædam partium, ad ſenſum, motumque concurrentium, quâ alicubi

cubi

cubi diruptâ, quis non intelligit, quid ſit ſuturum de reliquis?

53. Cerebrum laborare, non ut pars ſimilaris, ſed ut organica, verum eſt: ſed laborare ſecundum ventriculos, falſum eſt.

54. Ventriculos non eſſe receptacula excrementorum quia ipſius maximè intererat, cur non ſtabilivit ſuis rationibus? cur ad argumenta adverſaria non reſpondit?

55. Eos, qui diſtinguunt *Cerebrum*, in Cerebrum ſeu corticem cinereum, & *Cerebri medullam* oblongatam: nunquam intellexit. Vt neque illos, qui dicunt, *Nervos non oriri ex cerebro, ſed ex medullâ cerebri*. Hoc ita probo:

56. Dicit, *non poſſe nos rationem reddere, cur, illaſo cerebro, principes functiones lædantur?* Dico, Cerebrum dupliciter conſideratur, Aut craſsè, ut lanius & coquus: aut accuratè, ut Anatomicus. Hic cum dicit, Nervos non oriri ex parte cinereâ, quæ nervos non attingit; oriri autem ex parte albâ, ſeu medullâ, ex quâ ad ſenſum exſiſtunt: dimittitne ille cerebrum? id, inquam, totum, quod cranio continetur? Certè pars non eſt niſi totius pars: ergò, qui dicit totum, dicit ejus partes, & contrà.

57. Dicit,

57. Dicit, *Non poſſe nos diſtinguere apoplexiam à paralyſi univerſali.* Proh hominum fidem! Apoplexia fit, occupato toto eo, quod in cranio continetur, tam cinereo, quam albo, & quidem ita, ut ſenſoria externa, unà cum inſtrumentis motoriis, non habeant inde commune ſenſuum & motus inſtrumentum, Spiritus, ipſis interim partibus non læſis. Paralyſis vel totius trunci, vel alterutrius lateris fit, cum pars ſeroſa ſanguinis è cerebro deſtillat ſenſim in nervos, atque ita arrigat & occludit, ut ſpiritus tranſitum non habeant.

58. Addo, In Apoplexiâ eſt affectum cerebrum, illæſis partibus inferioribus, quarum reſpectu eſt morbus in numero, ut ita dicam. In Paralyſi eſt, ut dixi, affecta medulla ſpinalis, læſis etiam partibus inferioribus.

59. Dicit, *Non poſſe nos rationem reddere ſervatæ reſpirationis.* Immane telum! Imò nos veram damus cauſam, tu falſam. Aufertur pars altera reſpirationis: quei ergò poteſt eſſe illæſa? Hæc ratio quei *nimis vana eſt*? hominum vaniſſime. *Valeret etiam*, inquit, *in apoplexiâ illâ, in qua reſpiratio prorſus eſt ablata.* Non eſt apoplexia, ſed *ſyncope Cardiaca.* Atqui Gal. in 2. illo Aph. habet pro primâ ſpecie apople-

apoplexiæ? Non refert. Eſt hic error illi communis cum multis.

60. Hei mihi, quod fulmen de longinquo audio! *Si ſubſtantiam quoque cerebri malum invadat, ut medulla diffluat, & ſpiritus repentè exſtinguatur, &c.* Sed benè habet, Salmoneus eſt, non Iupiter. Quem ego:

Sed motos præſtat componere fluctus.

Dic mihi, ô nobiliſſime, ſiquidem tam certus es ventriculos affici, non ſubſtantiam: cur modò, neglectis ventriculis, ad ſubſtantiam divertis? Fortaſſis cauſam habui.

61. Fortaſſis non habuiſti! Dic mihi, *Rectène negavit Gal. ulla talia ſymptomata, quæ ſubitò fiunt, ortum poſſe habere ab intemperie, quod intemperies non niſi ſucceſſu temporis convaleſcat*? Siles? Si de inferiori intemperie, quæ eſt à manifeſtis qualitatibus id non licet: quantò minus ſtatuere id licebit de ſummâ, quæ eſt corruptio totius ſubſtantiæ, & nullo prorſus modo fit in inſtanti? Huc enim omninò devenire oportet nos, ſi *diffluxus* locum habet. Sed tranſeat:

62. Dic mihi, quæ eſt illa *ſpiritus exſtinctio*, quæ à *diffluxu* pendet? Scio, quid ruſtici minentur corrivalibus ſuis, Ich wil diß Licht außleſchen: ſed neſcio, an in

in ventriculis cerebri, tanquam in atrio quodam, ſtet candela, quæ radios ſuos ſpargat per totum corpus.

63. Multò minus ſcio, an, quod quidam voluerunt, quemadmodum atrii parietibus cadentibus, obruitur candela, & exſtinguitur: ita etiam in cerebro fiat? Profectò ſunt hæc portenta verborum, ad quæ non poſſum non expaveſcere, quaſi Pan ipſe foret in propinquo!

64. Tu verò, quiſquis es, recipe mecum animum, & para te ad viſenda multò ingratiora! Horum. 1. eſt, cum dicit, *Ventriculos in apoplecticis affici, etiam ſectio ipſorum poſt mortem comprobavit.* Vbi ſi dicam ego, *Non eſt in omnibus*: utetur ruſticâ occupatione, *Si Varolius non vidit, viderunt Coiter & Paræus.* Tantumne!

65. Proba mihi, ſi vir es, *Ventriculos eſſe officinas ſpirituum animalium*: & dabo tibi ultrò, apoplexiam fieri in ventriculis. Ego verò planiſſimè tibi probabo, *Spiritus fieri in corpore,* cujus probationis quæ ſequela? Dic tu:

66. Ego enim rem ipſam aggreſſus, ab initio oſtendo tibi Naturæ genium, Ariſtotelem, qui 2. Part. 7. & paulò poſt 10. cauſam afferens finalem, *Cur ſubſtantia cerebri ſit aquea & terrea?* uno verbo, *frigida & humida?* ait, *Vt contemperet calorem cordis.*

cordis. Tu verò noli tam craſsè intelligere,quo modo Gal. & alii, Contemperato corde ipſo: ſed ſpiritibus cordis calidis & ſiccis. Hunc ſenſum dat nobis Avicenna 1.3. tract. 1. c.2. Averroës,paraphraſi in Ariſt. & iterum 2. Coll.11. Albertus Magnus 3. Animal.1. c.6. Conciliator, diff.38. Turriſanus in plus quam-commento in Artem. Huc tendit noſtrorum hominum chorus ampliſſ. quem produxi Com. in 8. Vſ. p. idemque auctior in Phyſiolog.c.183.Vbi cum probatum ſit, ut & in Diatriba de Vſu cerebri ſecundum Ariſt. uſum Ariſtotelicum cerebri coincidere cum uſu Galenico: probatum etiam fuerit, In corpore cerebri fieri ſpiritus, non in ventriculis.

67. Vbi liceat mihi interloqui,Maximi ſemper ponderis fuit argumentum, quod ab adverſarii teſtimonio peteretur. At verò Gal. ipſe 8. Vſ. p.13. 7. Sent. Hipp.3. 3.Loc. aff.7. non eſt alienus à corpore cerebri. Idem probat rationem Ariſt.3.Prorrh.20. 12.Meth.21. *Calorem turbare,frigus quietem dare*.Et hoc planiſſimè ab Adraſtéa eſt. Ab eadem eſt infelicitas Gal. in probanda intentione ſua, præcipuè in motu cerebri,quem ideò architectatus eſt, ut aërem, ad ventriculos deduceret, pro conficiendis ſpiritibus, ſpe

in

in perpetuum vana, quod demonſtraſſe me puto in Digreſſione peculiari Com.in 8. Vſ. part.

68. Argumenta contra ventriculos quia latiuſculè deduxi in d. Phyſiolog. c.204. ſatis mihi ſit nunc temporis delibaſſe tantum. 1.Ibi fit ſpiritus, ubi actio fit. At verò in corpore fit. Corpus enim agit, non accidens. II. Spiritus ſi agere debet, oportet ſub imperio animæ maneat,in vaſis inquam. Poſtquam enim in æquor illud ventriculorum egreſſus eſt, quid cogit illum iterum in anguſtias illas nervorum? De naturâ enim ipſius eſt diffundere ſe. III. Sed nihil ſit hoc. Ventriculi interius cinguntur piâ matre, quæ negat & egreſſum & regreſſum. IV. Superiores duo ventriculi cum pateant in ſubjectum tertium, & hic in *Infundibulum*, quod aperitur in os ſphenoides, & conſequenter in palatum : quis ſpondebit,ſpiritus hac non exituros. V. Ventriculi cum nervis continui non ſunt, ſed cum corpore.Sunt enim cerebrum πεπιλημένον, quo modo Gal. ſolet loqui. VI, Ventriculi jam habent aliud officium, quod cum hoc ſtare neutiquam poteſt.

69. Hoc officium probo his argumentis. I. Structura ventriculorum, præſertim conſiderata in ſectione univerſa Varolii

rolii, planiſſimè convincit calcitrones factos ſc. eſſe eductioni excrementorum. Deſinunt enim quà dixi. Imò eſt unus ventriculus, quo modo Hipp. & Ariſt. olim æſtimabant. II. Glandula pituitaria; extra duram matrem, in ſellâ ſphenoidis ſtatuta, clarâ voce id teſtatur. Quin agnominatio, tot ſeculis probata, vult idem. III. Gemini in palatu meatus, 8. Vſ. p.6. ext: volunt hoc ipſum. IV. Sternutatio, admirabiliſſimum naturæ opus, non patitur nos aliò ire. Videmus enim pleroſque poſt illam aut expuere, aut nares emungere. V. Si quis ſugat linguâ cœlum palati, quod Ill. Bauh. me docuit, elicit pituitam. VI. Praxis Medica docet, apophlegmatiſmos in affectibus cerebri plurimum poſſe.

76. *Atqui in Apoplecticorum capitibus inventa fuit pituita?* Si naturaliter ibi eſt, præſertim in frigidioribus & humidioribus, quid miri? *Ubi pituita non eſt, aqua tamen eſt?* Eſt, & vidi. At verò aqua illa eſt ſerum capitis, quod colligitur in his cavitatibus, dum patera ſerrâ & malleo concutitur. Et hæc quidem tam ſolida ſunt, ut nec Herculem timeam!

71. Quid ILLE? (Et hoc alterum eſt) *In aſſertione ventriculorum ſuorum tam timidè agit, ut facilè appareat illum fingere.*

gere. *Duo ſuperiores fortè ſoli hoc nomine ſunt digni*, inquit. Cur, mi DD? quis ante te hoc dixit? Gal. quidem præſtantiores ait eſſe hos duos: tamen contemni non vult reliquos. Et quei contemni poſſunt, ſiquidem continui ſunt, & ſpiritus (ex hypotheſi) ibi perficiuntur? Sapientia igitur hæc propria eſt Noſtri, quam vel obiter inſpiciamus. Si prohibetur in ſuperioribus ſpirituum generatio : *quomodo ſpiritus, qui non ſunt, ſuffocantur in inferioribus*? Altera ſapientia eſt in illis, *Qui exitum non invenit*. Cum enim ibi ſit *Infundibulum*, quem alium exitum ſibi optet? In nervos forte? Nulla cum nervis communio ventriculis eſt, ceu dixi. Sed gradum faciamus.

72. III. *Anguſtia illa*, inquit, *duplex eſt, aut ſi mavis, triplex*. Quei hoc intelligam? Cur mihi disjunctivam *Aut* obtrudis? Cur *Obſtructionem*, quæ generis locum habuit ſuprà, jam ſpeciem facis? Cur eidem *Anguſtiam* ſurrogas? Et alioqui mirum mihi accidit, non attuliſſe ſex illas Gal. cauſas, Cauſ. morb. 7. quas Montanus explicat 4. Morbo 4. quâ de re infra in morbis *Cavitatum*.

73. IV. *Obſtructio illa fit*, pergit, *à materia craſſâ & copioſâ, ſive humor ſit, ſive vapor*: Mirabilis ſermo! *Idemne poſſunt humor*

humor & Vapor? his quidem terminis? Nam alias vaporem poſſe occidere, non nego: verum id fit ſuffocando, adeoque cauſa mortis in thorace potius eſt, quam in capite. Mirabilior eſt, *qui pituitam & melancholiam ſociat cum ſanguine!* Quis enim ventriculos ſanguine oppletos in apoplecticis vidit unquam? Et quâ fronte jungit ſanguinem cum humoribus iſtis excrementitiis? De *acrimoniâ* enim *& mordacitate* quæ inſpergit,irrita ſunt. An Apoplexiam ſanguineam cogitavit? Rideo! Peſſimè enim accomodavit, ſi hoc voluit.

74. *Compreſſio ab iiſdem cauſis oritur,* ſubdit, *Ab iiſdem cauſis*,quo modo? Non dubito errorem calami eſſe,quem longiſſimè exprobrare tibi poteram, ſi mores tuos ſequerer. Sit igitur:*fit ab extrinſecus incidentibus,caſu, ictu, &c.* Sed quâ ratione cauſat? Eſt omninò remota cauſa,quæ dolorem afferendo humores ciet ad *Torcular*. Quo dato, quid heic negotii eſt τῇ διαθέσει φλεγμονώδει Gal. 2.Aph.42. Poteſt quidem σφήνωσις illa tale quid ciere: verum σφηνώσεως cauſa demum eſt *compreſſio*.

75. VI. συνίζησις, *ſubſidentia*, quæ corporis cerebri eſt, cum concidit fornix illa, uti fabulantur, quæ quâ fronte *de-*

fectui ſpirituum tribuitur? Et quomodo conſonant ſibi iſta? *Non eſt à defectu ſpirituum: deficit ſpiritus duobus modis, &c.* Quei verò à *ſubſiſtentiâ* devenis ad *obſtructionem Carotidum*? A quibus cur ſejungis *ſphagitidas*? Rurſus, quid ſubſidentia commune habet cum *vapore, ſpiritus genitos diſſipante*? Ex his tantum faſtidii mihi obrepit, ut non poſſim diutius heic ſtare? Adeò verum eſt illud, *Æ jejunè ambitioſis non niſi jejunè ambitioſa exſpectari poſſunt*. Veſtri, ô adoleſcentes, me miſeret, quos cymbala iſta inania tam miſerè raptant, aguntque!

O fugite annales Voluſi, chartamque cacatam!

Cenſura brevicula theſium Eraſti de morbis totius ſubſtantiæ, CAP. XV.

§ 1. ANtequam deſeram *μακρὸν λῆρον* Fernelii de morbis formalibus, libuit paululum deguſtare dictas theſes. Primò autem omnium monere oportet lectorem, Erratum fuiſſe à ſcribâ, cum ſolos morbos totius ſubſtantiæ præſcripſit. Agitur enim de morbis quoque materiæ. Deinde, erratum fuiſſe ab ipſo autore cum morbos formæ non ſatis dilucidè ſeparat à morbis materiæ.

§ 2. In

§ 2. In D. 46. non poſſum concoquere, quod ait, *Materiæ, ſine temperamento conſideratæ, qualitates ad inſtrumentalium morborum conſtitutionem concurrere.* Quomodo *ſine temperamento*? Laxitas v.g. & mollities profectò non ſunt ſine temperamento. Ergò ſi ſunt non abſque temperamento, ſunt etiam morbi intemperiei. Et hoc pertinet ad difficultatem illam: *Qualis morbus ſit color flavus corneæ, per quem omnia videntur flava*? I. Alexandrinus, & alii referunt ad morbos organicos. Nullo modo. Eſt morbus temperiei, quatenus ad temperiem pertinet *Modus ſubſtantiæ* dictus. Cornea debet habere talem modum ſubſtantiæ, ut ad albedinem inclinet potius, quam ad nigredinem.

§ 3. Quæ D. ſeq. dicuntur, valdè mihi inſolentia ſunt. Quæ enim ſunt *illæ* tuæ *qualitates*? Explica te. Ventriculi & hepatis actiones quâ de causâ non ſunt ſimilares? Sunt enim alterationes. Eadem viſcera volunt adſtringentia, quatenus à calidis laxantur & diſſolvuntur. Adſtrictio enim omnis à frigore eſt. Senſus acrimoniam eſſe ab *ἰδιοσυγκρισίᾳ* facilè d[illegible] eſt, ut & odorum, ſaporumque dif- f[illegible] Mihi pariter à *modo ſubſtantiæ* [illegible] Argumento ſit, quod, mu-

tato victu, multa talia mutantur.

§ 4. Rectè cenſet D. 94. tolerantiam frigoris, caloris, laborum multas habere cauſas: è quibus tamen temperationem materiæ rejicio, & ſubſtituo animi firmitatem, aut mollitiem, licet ſub conſuetudine comprehendi poſſit. Ita D. 50. Ingenii & cogitationum celeritas omninò eſt actio ſimilaris. Sequitur enim temperiem ſpirituum. Hinc deliria fiunt, vel calidioribus, vel frigidioribus effectis ſpiritibus.

§ 5. D. 52. Rectè abjicit *Struthiocameli σιδηροφαγίαν*, partim, quod non ſatis conſtet τὸ ὅτι, An concoquat? partim, ſi conſtet, non fieri tamen aliter, quam in aliis animalibus, Calore, inquam, quodam ſuo. Tu vide Marg. ſuprà cap. 6.

§ 6. Mentem Gal. de duplici temperamento D. 53. non ſatis explicat. Et quid eſt, *Illa ſine ſubjecto intelligitur*? præſertim, quia mox ait, *Unà cum ſubjecto*? Breviter, *Temperamentum* quodammodo duplex eſt.* Aut enim eſt primarum qualitatum tantum, unde dicitur aliquid Calidum, frigidum, &c. Aut eſt, non primarum tantum, ſed & ſecundarum, & tertiarum & quartarum, unà cum *modo ſubſtantiæ*, unde dicitur aliquid *Tale*, ſimpliciter. Tribus verbis, Eſt id, quod *Comple-*

* *Vide ſuprà c. 6. parag. 6.*

xum

xum vocant Philoſophi, *Totam ſubſtantiam* Gal. Hinc intelligitur, quatenus Temperamentum à Totâ ſubſtantiâ differat, aut non differat. An autem *Tota ſubſtantia* ſit idem cum ἰδιοσυγκρασία, profectò valdè neſcio.

§ 7. Contrà ſcio, & valdè ſcio, falli Eraſtum, cum D.56. negat, *Totius ſubſtantiæ morbos rectè ſeparari à morbis Temperamenti.* Si enim nihil aliud, ſolus ille Gal. locus perſuadeat 13. Meth. 6. penè extremo, ubi ait, *Eorum, quæ qualitate ſolâ ſunt contraria, methodum eſſe: quæ totâ ſubſtantia non eſſe.* Hoc verò nolunt Ferneliani rapere ad ſe, ſed triumphare ante victoriam. Vt enim dixi, Temperamentum eſt quaſi duplex, Totaque ſubſtantia tantum abeſt à morbis formalibus iſtorum novatorum, quantum album à nigro. Propterea rectè ait Eraſtus, *Materia non agit: Forma non agit:* ſed *Totũ ita temperatum.* Hoc totum eſt cauſa proxima actionis ſ. n. hoc ipſum læſum eſt cauſa proxima actionis p.n. ſeu Morbi.

§ 8. Rectiſſimè idem D.57. quod nos ſuprà aliquoties, *Non, ſi quædam agunt tota ſubſtantiâ, propterea morbi introducuntur tales.* Hoc ſæpius repetendum eſt, ne convaleſcant illi, qui dant nobis integros tractatus de Occultis morbis. Idem rectè

ait D. 58. Non,ſi medicamenta quædam agunt totâ ſubſtantiâ, ideò aliud quid agunt,aut aliter,quam quæ temperamento. Theriaca quid facit? Calefacit.

§ 9. Prudenter D. 61. accuſat facilitatem illorum, qui perinde eſſe dicunt, quo modo appellent hos morbos, *Subſtantiæ*,an *formæ*?Egregia ratio! Appellent igitur cælum terram, & terram cælum. Imprudenter D.62. dat illis,*Formam magis eſſe cauſam actionum, quam Temperamentum*. Non eſt heic alia forma quam temperamentum. Quò facilius creditu eſt,quod D.63. ait,*Graviſsimum eſſe errorem, putare, ſingulas corporis partes habere peculiares formas*! Ego verò hoc etiam addo, Non minus gravem eſſe errorem, quin falſiſſimum in Philoſophiâ Peripateticâ, *Animam eſſe in toto corpore, & totam pariter in ſingulis ejus partibus*.

§ 10. Quæ à D. 66. uſque ad finem ἀσύστατα Fern. affert, non repeto, ne Camarinam moveam bonis ingratam.

§ 11. Eadem cauſa eſt, cur non vocem huc Iouberti illa dict. 1. contra Fernel. f. 199. ed. Francofurtenſis. Claudicat multis modis.

AD

AD LIBRVM. IV.

De morbis Organicis, CAP. XVI.

§ 1. IN ordine doctrinæ hoc ſtatim deſidero, quod Montanus cap. 1. exponat, Quid ſit morbus *Organicus* ſeu *Inſtrumentalis*? antequam ſcil. doceat, Quid ſit *Organum* ſeu *Inſtrumentum*? quod facit cap. 2.

§ 2. Rerum igitur ordinem ſecutus, ante omnia dico, ſed paucis, quid Græcis ſit *ὄργανον*? quid Latinis *Inſtrumentum*? Inde enim lucem accipiet quæſtio, Quâ in re conſiſtat eſſentia partis Organicæ, Inſtrumentalis, Diſſimilaris? Nam ita quoque appellatur.

§ 3. Quemadmodum eſſentia partis ſimilaris ſita erat in Temperamento, quę *Qualitas* eſt, & qualitas unicuique illarum propria, quo Temperamento, quâ Qualitate eò uſque mutatâ, ut actio lædatur, morbus erat ſimilaris, qui *Intemperies* dicebatur: ita *eſſentia partis Organicæ*, Inſtrumentalis, Diſſimilaris collocata eſt certâ diſpoſitione partium ſimilarium omnium, ad conſtitutionem Diſſimilarium concurrentium, quâ diſpoſitione eatenus vitiatâ, ut actio lædatur, morbus eſt Diſſimilaris, *Organicus*, *Inſtrumentalis*.

§ 4. Heic ſubitò umbram nobis facit diſtinctio vetus partium, non in *Similares* & *Diſsimilares*, uti nos: ſed in *Organa* ſeu *Inſtrumenta*, Diff. morb. 4. Heic enim dicitur, Partium alię ſunt *Inſtrumenta primi ordinis*: aliæ ſecundi: aliæ tertii; aliæ quarti. Quantò melius in primâ acie collocatur noſtra hæc diſtinctio, &, ſubjicitur ſubdiſtinctio, Diſſimilarium aliæ ſunt primi ordinis, aliæ ſecundi, &c. Vt fiat hæc oratio:

§ 5. Partes ſunt vel *Similares*, ut Caro, fibra, membrana, vena, arteria, nervus &c. vel *Diſsimilares*, ut Auris, oculus, naſus, os &c. *Diſsimilarium* alia eſt μονοειδὴς, alia πολυειδὴς: τῶν πολυειδῶν rurſus alia magis & minus. Hæc res exemplo declaretur.

§ 6. Brachium v. g. eſt pars diſſimilaris, & ea quidem compoſitiſſima, ſeu quarti ordinis. Dividitur enim primum in partes tres majores, Brachium, Cubitum, & Manum ſummam. Manus ſumma iterum dividitur in tres minores, Carpum, Metacarpum & Digitos, quæ ſunt inſtrumenta tertii ordinis. Rurſus, digiti ſinguli in tria internodia, quæ ſunt Inſtrumenta ſecundi ordinis. His tandem ſubjiciebant illi Similares nobis dictas, vocabantque inſtrumenta primi ordinis.

Hac

Hac in re conſiſtit demum confuſio, quæ adegit Fuchſium eò, ut dixerit, Partes quaſdam eſſe inſtrumenta, ſed non partes Inſtrumentarias, quo quid ridiculum magis?

§ 7. Ceſpitavit Montanus quoque, qui Inſtrumentum hoc primum confundit cum definitione partis inſtrumentariæ, quæ eſt 1. Meth. 6. *Inſtrumentum eſt pars illa, quæ perfectam edere poteſt actionem*, ut oculus viſionem, brachium apprehenſionem, & ſic de cæteris.

§ 8. Cæterum, ut perfectio hæc intelligatur, operæ pretium fuerit repetiiſſe ex cap. 8. § 6. diſtinctionem, quam Ill. D. ab Aquapendente acceptam fero, inſcius, ſi illo prior quis habet. Actio perfecta, aut ab uno inſtrumento editur (intellige, non ſine affluxu facultatis deſuper) ut viſio ab oculo: aut à pluribus, κατ' ἐντελέχειαν agentibus, h.e, tantum conferente unâquaque, quantum per naturam ſuam poteſt, ut exemplo motus, ex ejuſdem cap. § 11, liquet.

§ 9. In utroque ordine eſt una aliqua pars, quæ ſola agit, quam ideò etiam principem vocant, qualis in oculo humor Cryſtallinus, in brachio Muſculus: huic cæteræ omnes ſubſerviunt tantum, & dicuntur, non agere, ſed aliquid conferre parti agenti.

§ 10. Iam, ut fiat hæc actio perfecta, oportet benè & ſ.n. ſe habeant omnes partes, non principem tantum, ſed omnes illæ, quæ quovis modo concurrunt, quod vulgò dicimus uſum præbere; ut lædatur actio, non neceſſe eſt lædi ſemper principem, ſatis eſt lædi quamcunque ex uſum præbentibus.

§ 11. Ergò ſi pars organica hæc eſt, eſtne heic quoque tale quid, quale in ſimilaribus fuit Qualitas, in quo eſſentia morbi organici conſiſtit? Eſt omninò. Hoc verbo quidem barbaro, ſed apto ad rem, *Organiſationem* voco. Quemadmodum igitur in morbis *Similaribus* vitium oriebatur exceſſu unius aut alterius Qualitatis, prout pars quælibet temperata naturaliter eſt: ita in *Diſsimilaribus* ſeu *Organicis* ſi contingat partium ſimilarium quandam diſlocari, ut vitietur compoſitio, eſt & dicitur *morbus organicus.*

§ 12 Hoc explico. Quemadmodum domus, navis, omnia artificialia conſtant ex variis partibus, variâ materiâ conſtantibus, ita inter ſe diſpoſitis, hac figurâ, hoc numero, hac magnitudine, hoc ſitu, ut omnia in uſu ſibi reſpondeant: ita in corpore humano quatuor ſunt, quæ faciunt, ut organum ſit aptum uſui ſuo.

§ 13. Quatuor illa ſunt, Conformatio,

tio, διάπλασις: numerus, ἀριθμὸς ὁ: magnitudo, μέγεθος τό: ſitus, θέσις ἢ κοινωνία. Rurſus, Conformatio tria ſub ſe habet, Figuram, σχῆμα: ſuperficiem, ἐπιφάνειαν: cavitates, κοιλίας, ἢ κοιλότητας, ἢ πόρους, ἢ ὁδοὺς &c. Hinc adeò morbi Organici ſunt ſextuplices, quos ita immitto in poſſeſſionē.

§ 14. Pulcrè, quiſquis ille fuit, qui ſcripſit l. de Conſtit. art. cap. 3. ait, Deum & Naturam, cum hominem formarent, uſum pro ideâ habuiſſe. Huc eunt lib. de Vſu partium, qui monſtrant, hanc partem fuiſſe ſolidam, firmamque, ut hoc faciat: hanc fluidam, ut de loco in locum transferri poſſit: hanc aëriam, ut ſerviat liberis actionibus. Et hę ſunt partes Hipp. Rurſus, inter ſolidas hanc eſſe craſſam, hanc tenuem: hanc membranoſam, hanc carneam: hanc canalis inſtar pertuſam, hanc cæcam, & ſic deinceps.

§ 15. Harum partium ſingulæ ut agere poſſint, quod à Naturâ illis demandatum eſt, oportet I. ita ſint conformatæ, & ſuperficie tali, & figurâ tali, & cavitatibus ſeu viis tot & talibus. Horum uno aliquo mutato, triplex fit organicorum morborum genus, in Conformatione dictum.

§ 16 Oportet. II. hoc numero ſint: III. h[illegible]udine. IV. hoc inter ſe

ſitu. Horum aliquo vitiato, fit alius ternarius organicorum morborum, ſuo quodque nomine appellatum. Quare morbi organici in univerſum ſex ſunt, eo ordine explicandi, quo inventi ſunt.

§ 17. Antequam id fiat, removendus eſt obex magni ponderis, ut videtur quibuſdam. Quæritur, An, quemadmodum in partibus ſimilaribus, Temperies illa cujuſque partis certa, pendens ex quatuor elementorum miſtione, dicitur Galeno Facultas, aliquando Anima ipſa: ita quatuor illa, quæ in partibus diſſimilaribus conſideramus, poſſint etiam dici? Mihi res ab omni probabilitate videtur abeſſe.

§ 18. Ne videar φορτικὸς, ut jam dudum viſus ſum, declaro. Ita quidem eſt, πρόσωπον ἐπιστήμης in arte noſtra eſt iſte, Conſiderat miſta, quà miſta ſunt, non autem quà animata etiam. Quare? Quia ſervato λόγῳ μίξεως ſervat animam. Hinc adeò fit, ut μῖξιν ſuam, κρᾶσιν ſuam (jam enim non diſtinguo) audeat Medicus appellare Animam, Facultatem, Formam ſubſtantialem, licet hanc nullatenus attingat, contentus formâ illâ inferiore, Temperamento, quippe quod alterabile eſt, cum ſuperior, Anima, non ſit. Ita quidem eſt, inquam in ſimilaribus & qui hoc impro-

improbant, imperitiæ meritò accuſantur: ſed quâ fronte quærimus tale quid in diſſimilaribus? Vt enim eſſentia morbi ſimilaris conſiſtit in hoc, in Temperamento, in Qualitate, quam modò ita voco, modò ita, quia uſui nihil derogat: ita eſſentia morbi diſſimilaris conſiſtit in Organiſatione, quæ non poteſt participare de nominibus iſtis.

§ 19. Imò, dicunt quidam, & inter hos Montanus noſter, Vt tria hæc unum ſunt, Temperies bona, Facultas integra, Sanitas: ita hæc tria unum quoque erunt, Organiſatio mala, Facultas læſa, Morbus. Quin Galenum quoque docuiſſe ajunt, Et συμμετρίαν ſimilarium eſſe ſubſtantiam, formam, facultatem: & συμμετρίαν diſſimilarium eſſe ſubſtantiam, formam, facultatem inſtrumentalem.

§ 20. Profectò ſuperbiſſimè hæc jactantur! In ſimilaribus ita eſt, ut dixi, Medicus ſumit ſibi hanc licentiam, cum nomen rei ſuperioris tribuit rei inferiori, & Animam vocat, quod Temperamentum eſt: in diſſimilaribus nihil opus eſt, nec Gal. eò audaciæ pervenit, quantum mihi compertum eſt.

§ 21. Atqui actio omnis, propriè & per ſe, eſt partis ſimilaris: tribuitur autem toti inſtrumento, ex accidenti & ſecundariò?

dariò ? Non do tibi ſignum Vniverſale, Omnis. Verum eſt, quod dicitur in iis tantum inſtrumentis, quæ ſola edunt operationem, v. g. Oculus viſionem. Falſum eſt de iis,quę per entelechiam agunt, in quibus tota aliqua pars eſt princeps, v.g. Muſculus in apprehenſione, docente ipſomet Gal, 1. Vſ. part.

§ 22. At tu,ô bone, de tribus eſto monitus, antequam ad ſpecialem tractationem venias. I. Alio reſpectu dicitur, actio eſt totius compoſiti, non formæ, non materiæ: alio,actio eſt totius v.g. oculi;alio,humoris cryſtallini in oculo. II. Gal. non ſemper accuratus eſt in facultatis nomine. Alias enim ita vocat temperamentum oculi proprium (ut in exemplo perſiſtam) alias commune, facultatem viſoriam influentem. Sic in ἀμαυρώσει,ſalvo oculi inſtrumento,cęcitas adeſt, propter defectum ſpiritus viſorii. III. Apud eundem Gal. partium unius inſtrumenti quatuor ſunt ordines. Vna agit: aliæ ſunt ſine quibus non:aliæ, cum quibus melius: aliæ tutelæ gratiâ, ad quam refero Ornatum. Hac proportione quadam ſunt in iis quoque, quæ per entelechian agunt. Atq; hinc pendent Morbi in uſu, in quibus quidam ſunt mirificiſſimi. Dictum enim eſt, actionem lædi, non tantum,

tantum, quando pars præcipua laborat: ſed & cum una ex inferioribus.

De morbis Organicis Conformationis in figura, CAPVT. XVII.

§ 1. Conformatio cum conſiſtit in tribus, orditur Montanus cap. 3. à figurâ: ſed multa non neceſſaria inſercit. Hoc laudabile eſt, quod docet, Figuram tum lædere tantum, cum actionibus officit: hoc contra reprehenſibile, quod confundit ſtatim cum morbis in ſitu.

§ 2. De φοξοῖς Græcis vocatis multa inania diſputat. Manet enim hoc, φοξοὶ ſunt illi, quibus vel alterutra, vel utraque deeſt προβολή, itaque fit Caput acuminatum. In quibus utraque abeſt, ii caput habent rotundum, ſeu orbiculare, qualis eſt ſcillæ radix. Vnde concludo, Periclis caput omninò fuiſſe tale, nec magis illum fuiſſe σχινοκέφαλον, quam φοξὸν, verum hoc modo, quo dixi. Qui quoniam calliſſimus fuit, repetendum eſt illud, Tum defectum prominentiarum eſſe in vitio, cum actiones capitis læduntur. Quamdiu enim anguſtia calvariæ non obeſt rectæ cerebri conformationi, res benè habet. Novi enim aliquot tales, qui aſtu-

aſtutiſſimi erant : novi & ſtupidos,

§ 3. De iis qui *βλαισοὶ ἢ βλαισοσοὶ* dicuntur, moneo, Vocem aliquando latiſſimè patere, pro omni omnium partium diſtortione, quo nomine Blæſi à Latinis vocantur illi, qui quovis modo linguâ titubant. Aliquando genibus ſolis tribui, ſed tam pro iis, quibus introrſum curvantur, quam quibus extrorſum. Aliquando alteri vitio tantum, cum introrſum flectuntur, quo malo qui tenentur, Valgi Latt. dicuntur, aut Vatiæ. Tum verò oppoſitum ci vitium peculiare nomen habet, apud Græcos quidem *ῥοικὸς, ἢ ῥοιβὸς, ἢ ῥαιβὸς*, apud Latt. autem Varus. Hæc à quibuſdam per incuriam invertuntur, à quibus deceptus ego, Com. in 3. Vſ. part. n. 146. nunc retracto. Quibus ſe jungat Montanus, neſcio : tu videris. Pariter non video, quid ſibi velit illis, Hæc vitia non ſemper eſſe morbos : ſed aliquando ſymtomata. Hoc enim fortè dixiſſe debuit, quod ab initio, Non ſemper eſſe morbos, ſed vitia; tum videlicet, cum non lædunt actiones. Et hanc diſtinctionem obſervant etiam I Cti.

§ 4. Non minus ſtupeo ad illa, Morbus eſt, non figura, ſed figuræ vitium. Imò morbus eſt, non in figurâ, ſed in parte, hoc, illove modo figuratâ. Et eſt alioquin hic

hic error Montani, Omnes morbos, quo ad ſuum fundamentum, pertinere ad primam Qualitatis ſpeciem. Huic contraibat SCHERBIVS, ὁ πάνυ, Vbicunque parti, quæ eſt fundamentum, accedit ἀμετρία, ἀμετρία illa eſt morbus.

§ 5. Cujus dicti occaſione ventilare placet id, quod Montanus habet fine cap.6. Morbus figuræ facit aliquando morbum in cavitate. v. g. Naſus compreſſus ſeu ſimus facit anguſtiam in meatu narium, unde difficilis reſpiratio. Heic, inquit, ſimitas eſt cauſa continens. Nihil minus, ajebat ILLE. Imò hoc exemplum conficit cauſam continentem. Vt enim Gal. docet. 2. Nat. hum. 1. Cauſa continens primò lædit actionem. At heic anguſtia primò lædit actionem. ...

De morbis Conformationis in cavitatibus, CAPVT. XVIII.

§ 1. CAvitates hę, vel κοιλότητες ſunt: vel κοιλίαι vel πόροι: vel ςόματα: vel ὁδοὶ. De his agens Mont. c.4. duplex morborum genus conſtituit, & rectè. Alii enim ſunt in cavitatibus ſtrictioribus, arctioribuſve, quos Obſtructiones mox appellabo: alii in laxioribus, patentioribuſque, quos Defluxiones.

§ 2. De

§ 2. De his cum Gal. duobus locis egerit (de Diſt. & Cauſ. morb. c. 7. ext.) non minus jejunè quam obſcurè, prodente Montano ipſo: quid faciemus!

§ 3. Cum Pathologica ſcriberem, videremque SCHERBIUM in omnibus ſecutum eſſe Montanum, ſecutus ſum ego quoque: ſed parcè. Cum poſteà Inſtitutiones pararem, & totum iſtud, quod Montanus tribus cap. inciperet ſordere; converſus ſum, partim ad correctiones, partim ad explicationes, quoquo modo exculpavi Galenum.

§ 4. Nunc paucis me abſolvo, & dico, Morbi in Cavitatibus duplices ſunt, quemadmodum cæpi dicere. Alii ſunt Obſtructiones, cum viæ, vel ex toto, vel ex parte inferciuntur, ut jam non amplius ſpatium ſit tranſitui humorum, ſpirituumve naturalium. Alii ſunt defluxiones, ῥεύματα, ῥευματισμοὶ, ῥευματικαὶ διαθέσεις vocatæ priſcis: quin διαδέξεις ἢ διαδοχαὶ, ἀποθέσεις, μεταστάσεις, ἀποστάσεις, & ſi quas alias voces habent illi, quibus ſignificant tranſlationes humorum, vaporumve de parte in partem.

§ 5. Huc duo imprimis perpulerunt me. Alterum, noſtrorum, tam Theoreticorum (ut ſic dicam) quam Practicorum ſiniſteritas. Cum enim oratio Gal. atque

adeò

adeò ipſa rerum evidentia vellet duos ſibi oppoſitos morbos: quid facerem de Soliditate Fuchſii, Argenterii, Planeri, aliorum? Cum pariter viderem, pleriſque omnibus aquam hærere, in deſcribendo multorum ſymptomatum morbo proximo: non potui non animum applicare ad deſertas διαθέσεις ῥευματικὰς, & ſi quo alio modo appellabant veteres. Podagra v.g. eſt ſymptoma, dolor quippe, cujus morbi? Omnes tacent, etiam Ill. SENERTUS, qui noviſſimè ſcripſit, & ſeorſim, fortaſſis, quia locum pro illâ non invenit.

§ 6. His poteram me abſolvere, niſi ſcirem, Animadverſiones me promiſiſſe in Montanum. Spes autem eſt, non omninò me ingrata allaturum, nec prorſus inutilia iis, qui Veritati ſuum deferunt honorem, ob partam ab hoſtibus victoriam.

§ 7. Rectè Avicennam culpat, qui morbos in cavitatibus anguſtis, uno verbo, Obſtructiones, facit duplices, alios Receptaculorum, ſeu trium vaſorum propriè dictorum Medicis, venarum, arteriarum, nervorum: alios Ventriculorum, ſeu cavitatum majorum, Ventriculi ſc. ſpeciatim ſic dicti, cum inteſtinis, & gulâ Ventriculorum cerebri & cordis, cavita-

tum

tum renum & veſicæ utriuſque,&c. Reverà,omnes hi morbi aliò ſpectant.

§ 8. Ventriculus ſic dictus (niſi ſit à ſaburrâ, quæ pertinet ad Errorem externum) ſi non poſſit expellere chylum, laborat intemperie frigidâ, vel ſolâ, vel cum ſiccitate,humiditateve. Cum aliunde influxit quid,eſt ῥευματισμὸς. Si gula & larynx non admittant cibum, potumve propter inflammationem:quis cogitet de obſtructione? Et ſic de cæteris,ne fruſtrà tempus terã.Proinde,quę dicit ille de differentiâ affectuum vię ab affectibus conceptaculorum,ſuâ ineptitudine corruunt.

§ 9. Ferneliũ,qui incõſideratò ſequitur Arab.meritò accuſat,quod unũ genus morbi bis deſcripſerit.Tantò magis,quod nominamutârit,ne fruſtrà ſapuiſſe videatur.

§ 10. In explicando Gal. labitur multimodis. Primò enim ineptè amplificat Leoniceri errorem, In Græco eſt μέγεθός τε καὶ πλῆθος. Hæc ille vertit, Tam magnitudo, tam multitudo, quaſi duo forent Noſter, quaſi de induſtriâ opem illi ferens,Aut in magnitudine,aut in multitudine. Neutrum admittunt particulæ expletivæ τὲ καὶ.Quo loco ſi quis dixerit, τὸ μέγεθος καὶ πλῆθος non eſſe ἰσοδυναμοῦντα,ideoMontanum mutaſſe expletivas in ἢ vel ἤτοι: huic dicetur,quamvis ἰσοδυ-

ναμοῦ-

γαμῶνται non ſint:non ob id rectè mutatæ ſunt voculæ illæ. Quamobrem pro πλῆθος olim legi πλάτος : poſtea comperi, Planerum in D. de Morb. org. voluiſſe μῆκος, eodem planè ſenſu. Hac habitâ correctione,Gal.quidem rectè ſubdiderit illa, πολλὰ δὲ ταῦτα νοσήματα : ineptiſſimè autem Montanus, Vtriuſque vitium,aut in exceſſu eſſe,aut in defectu.Cæterum,in his ipſis Gal. verbis inſignis eſt ἀκυρολογία, quam ego damno , mutatâ lectione ex l. de Cauſ. Senſus enim vult, πολλὰ δὲ τούτων αἰτίαι. Hinc perſuaderi ſibi patiatur Montanus,ſex illa,quæ numerat, exceptâ Obſtructione,non eſſe,vel Modos, vel Species , vel Differentias : ſed partim Morbos alii generis, partim Modos obſtructionum. Hoc non vidiſſe,vel Planerum, vel Scherbium,mireris forte? Quia nimis amabant Galenum? Ego ſine affectu dico, quod res eſt,hinc facto initio.

§ 11. Coälitum,σύμφυσιν,cauſam eſſe,falſum eſt.Imò eſt morbus in ſitu. Falſum & hoc eſt,σύμφυσιν capi heic eo modo, quo in l. de Oſſ. De naturali enim συμφύσει eſt ſermo ibi: heic de p.n. Talis σύμφυσις cum ſit in ἀτρήτοις dictis, cur morbum in ſitu confundimus cum morbo in viis?Rurſus,cum vitium conformationis in gemino poro bilario,2 Temp.6.

extra

extra dubium ſit morbus in numero excedente, quod Montanus expreſsè dicit, Plures numero, f. 155. b. In exceſſu multitudinis, f. ſeq. a. cur huc arceſſit? Eadem eſt ratio occluſionis labiorum, uteri, narium: ſunt enim morbi in ſitu. Hac in re quam miſerè ſe torqueat Planerus D. 16. & ſeq. vide, ſis, ipſus, vel ideò, quia D. 22. reſumit. Quot ergo heic ſunt ceſpitationes enormes?

§ 12. Ἔμφραξις, Obſtructio, ut in rei veritate ſola huc pertinet, & propriè rapit ad ſe curationem, ceu Planerus loquitur, quia morbus eſt, non cauſa: ita inanis eſt diſtinctio, ſi integra ſit occluſio, vitium in multitudine eſſe; ſi non integra, in magnitudine. Vno verbo, Multitudo debet hinc faceſſere: quia ad Numerum pertinet. Et hoc volo exaudire Planerum quoque.

§ 13. Στενοχωρία, anguſtia, quam facit vel tumor aliquis p. n. vel excreſcentia, quo modo huc facit? Tumor eſt morbus per ſe: excreſcentia eſt morbus per ſe. Illi, ἑπομένως, per reſultantiam, accidit anguſtia, quam facit morbus: hæc, morbus in numero eſt, cui pariter accidit anguſtia. Tu ſcito, Planerum D. 26. uti verbis Montani.

§ 14. θλίψις, compreſſio, meo judicio,

cio, non differt ab Anguſtia, & congeſſit Gal. tantum varia nomina, quibus Medici tum utebantur. Quo modo pingat Plan. D. 28. videat, qui vult.

§ 15. Συνίζησις, confidentia, ne pilo quidem melior eſt prægreſſis duabus. Et quomodo quadrat exemplum Montani de veſicâ plenâ? Plan. D. 24. & 25. mera verba dat nobis.

§ 16. Ἀναστόμωσιν quoties intueor, toties indignor! Quo modo enim cauſa, quæ affectum contrarium habet, ſtare poteſt cum iis, quæ memoratæ ſunt? Et videtur diſplicuiſſe ipſi Gal. qui non explicat debito modo. Nec expediverit rem, qui excuſationem illius meditari volet, In fine cap. de Diff. vocat ἄνευρωσιν, ut in de Cauſ. μάνωσιν. Ne diutius te morer, Tam non poteſt referri ἀναστόμωσις ad viarum anguſtias, ut ſit, ceu dixi, ex adverſo oppoſitus affectus, is, inquam, qui conſtituit διαθέσεις ῥευματικὰς, ſuprà §. 4.

§ 17. Rebus Gal. ſic ſtantibus, non ſatis intelligere heic poſſum, cur Mont. cap. 5. inchoēt expoſitionem cap. 7. de Diff. morb.

Non mala ſit melior cauſa patrocinio.

Videamus ſtrictim quædam.

§ 18. Cum videret, reliquis cauſis addi τὴν ἄνανσιν, exſiccationem, ſi verti ita

poteſt;

poteſt; exſiccatio autem ſit Intemperies; quid ait? Quod non intelligo.

§ 19. Quia dixerat in στενοχωρίᾳ, θλίψει, καὶ συνιζήσει, aliquando eſſe unum morbum, aliquando duos; & verò per exempla non ſatis declaraverat: allaborat vir eximius, ut lucem tenebris afferat. Revera περίεργον eſt.

§ 20. Morbum morbum parere quia ſcripſerat, vult nos docere, quando id fiat? Pax!

§ 21. Non majoris momenti ſunt Dubitationes, quas cap. 6. habet. Primam jam occupavi, Morbine an Cauſæ ſint ſex dicta παθήματα? Sunt partim cauſæ, partim morbi, ut dixi. παραμυθία admitti poteſt.

§ 22. Occupavi & alteram, quod Gal. alibi modò plura ſex illis numeret, modò pauciora. Loquitur modò cum his, modò cum illis, quia accurationem nemini promiſit. Et hoc malo, quam verborum latiorem vel preſſiorem ſignificationem. Interim rectè dixit, In vocabulis eſſe repugnantiam, in re nullam.

§ 23. De στεγνώσει omiſsâ rectè ait, Non poſſe excuſari factum. In reliquis parco & mihi & aliis. Velle enim omnia producere, quæ Gal. variâ occaſione ſcribit, inſaniæ ſimile ſit.

De

De morbis Conformationis in ſuperficie CAPVT. XIX.

§ 1. IN his ſubitò Montanus (& quis non ex noſtris?) cap.7. provolat ad aſperitatem & lævitatem, cumulatis exemplis impertinentibus.

§ 2. Maximè urgere videtur, quod Hipp. (ut hinc incipiam) 2.in 6.Epid.4. jubet Exaſperare & Lævigare. Me verò, cum diligentius intueor, exempla longè aliò ducunt.

§ 3. Horum primum apud Gal. eſt Faucium aſperitas,quæ tuſſim facit. Ego verò cenſeam eſſe Continui-ſolutionem, quæ dolorem facit. Quin,ſi malum diutius duret, Vlcus, quod vel Phthiſis doceat ex deſtillatione.

§ 4. Alterum eſt, ſcabrities cutis omnis. Ego verò putem, ſymptoma eſſe hoc, quod pendeat ex transmiſſione vitioſorum humorum è viſceribus, & jam morbum ex viis laxis.

§ 5. Tertium, ni fallor, eſt Dyſenteria ipſa. Hæc verò ad Continui-ſolutiones refertur ab omnibus.In hac ſi utar mucilaginibus, hordei γλισχρήμασι, aliis, ad humoris acrimoniam reſpicio, ad cauſam, inquam.

§ 6. Quartum eſt pilorum defectus. Hic verò eſt morbus in numero.

§ 7. Quintum ſordida ulcera ſunt, quæ abſtergentibus exaſperamus. Miror ego, quæ hæc locutio ſit? Cum enim ſordes auferimus, lævigamus potius. Et quis pro morbo peculiari habeat, cum ſit cauſa ſine qua non?

§ 8. Sextum Ventriculi lævitas eſt, ob copiam pituitæ. Hoc accepto: ſed ut liceat accommodare rebus meis, de quibus mox.

§ 9. Septimum eſt hæmorrhoidum citatio per peſſos. Heic quis credat, hæmorrhoidum curam eſſe morbum? Sed admittatur παραμυθία: Siquidem illæ ſubſtiterunt ob tenacem pituitam, claudentem oſcula ipſarum, jam hoc quoque pro me eſt.

§ 10. Octavum, Palpebrarum *συκώσεις* ſi curantur cathereticis, quibus præmittitur levius exaſperans, quid hoc ad rem? Idem dicam de verrucis, de favis, de aliis.

§ 11. Hæc cum talia ſint, quæ vel ipſe ſaxeus Morychus contemnat, quid Noſter? Primum, ſubſtituit dentes molares, ex 11. Vſ. part. 8. Facilè illi do, dentes à Naturâ ideò factos eſſe aſperos, ut molere poſſint; nec diſplicet ſimile à lapidibus

mola-

molaribus ſumtum: ſed quid hoc ad morbos? Fortaſſis quia per ſenium lævigati, indicatio oritur exaſperandi?

§ 12. Deinde profert oſſa ſphacelata & carioſa, quæ radimus, inquit. Audio: ſed ſtatim ſubvenit mihi ſolutio-continui. Paucis. Aſperitas illa eſt cauſa ſine quâ non, perinde ac in ſordidis ulceribus.

§ 13. Tertiò addit uteri ſuperficiem internam aſperam, abſque quâ ſemen receptum iterum effluit. Et hanc cauſam dant quidam, cur ſcorta non concipiant. Non ſemel ego in Anatomiis contrectavi dictam ſuperficiem: ſed nihil ſenſi. Revera, hiant quidem vaſa in uteri cavitatem: ſed non extant adeò, ut digito ſentiri poſſint.

§ 14. Eadem ratio eſt ventriculi & inteſtinorum. Vaſa enim meſaraica dicta fibrulis tenuiſſimis obliquè potius, quam rectà progrediuntur, & hauriunt chylum ἀλμυρωδῶς, uti Galenus loquitur. Revera, imaginaria ſunt iſta omnia, & indigna liberali ingenio!

§ 15. At villoſus eſt intrinſecus ventriculus? Scio: ſed quid inde? Pudet me profectò minutiarum iſtarum, quas tamen jactant omnes! Dicam igitur, quid mihi in mentem venerit.

§ 16. Legenti mihi διαθέσεις νοσώδεις, à quibus ſternutatio & tuſſis fiant, 2. Cauſ. ſym.1. A. Diff. morb. 7. fortè fortunâ obtulêre ſe mihi morbi ii, de quibus agimus, quod Gal. expreſsè dicat, fieri ſi exaſperetur, quod læve erat.

§ 17. Hoc confirmavit mihi duplex φαινόμενον. Sternutatio ſi à nobis excitari poteſt indito naribus pipere, pyrethro, helleboro, nigellâ, fl. lilii convallium, tabaco: quidni à naturâ quoque ita fiat? Submiſſo, inquam, acri aliquo humore, vaporéve, qui membranam narium interiorem irritet? Tuſſis ſi à nobis fieri poteſt comeſtis amygdalis, præſertim rancidis, juglandibus, avellanis, aliiſque talibus: quidni à naturâ quoque id fiat, delabente in aſperam arteriam humore acri, & ſtimulante membranam internam, valdè alioqui ſenſilem? Singultus eadem ratione eſſe videtur, quod ab aliquibus cieri poſſit, comeſto tantum pulvere piperis, ut Gal. de ſe ſcribit.

§ 18. Quamobrem concluſi, Quæcunque ſymptomata fiunt à morbo & naturâ ſimul, in iis morbus, ſeu diſpoſitio morbifica eſt ſuperficies exaſperata, aut contrà lævigata.

§ 19. Heic aliquis, voce hac excitatus, Quid fiet inquiat, de morbo oppoſito?

ſito? Iam Gal. in ſup. dedit mihi ſub manus duos caſus, alterum quidem, cum villi in cavitate ventriculi ita ſunt obruti pituitâ, nihil uti ſentiat ventriculus: alterum autem, cum hæmorrhoides non eunt, quod ora ipſarum ſint occæcata à pituitâ foris allitâ, quà patere debebant.

§ 20. Hoc poſterius accommodo omnibus inteſtinis, & confirmo pulcerrimâ hiſtoriâ, quam accidiſſe Lipſio, τῷ θαυμασιωτάτῳ Heurnius refert, præf. op. ſuorum. Laborabat vir eximius melancholiâ hypochondriaca, &, inter alia ſymptomata, perpetuò habebat pigram alvum. Credo ego infelicem etiam chyli diſtributionem adfuiſſe. Hic, dato aliquando medicamento purgante, pituitam excrevit viſcidiſſimam, ita figuratam, quaſi inteſtina ipſa exiſſent, &c.

§ 21. Et hæc quidem hactenus viſa mihi ſunt de morbis ſuperficiei: ſi cui diſpliceant, det meliora. Ego hinc peto reſponſum ad dubium Montani, cap. 8. Similareſne ſint morbi, an inſtrumentarii? Inſtrumentarii omninò, cum motum vitioſum creent.

§ 22. Alienum à rebus noſtris eſt alterum: tamen dicam aliquid. Quærit, Aſperitas hæc, aut levitas morboſa Cita enim proponi debebat) eſtne ab altera-

trice,an à formatrice? Quæro ego, De utrâ aſperitate loqueris,Internâ, an externâ?Non puto de illâ:ergò de hac.De quâ ita ſentio, ſomnium eſſe, quod oſtendi exemplo uteri & inteſtinorum. Hoc quia ſenſus ſtabilit, non eſt opus aliis.

§ 23. Quæ ſubnectit de loco Hipp.in quo ille exaſperat, miſerè calamitoſum eſt.Non enim de morbo loquitur, ſed de opere chirurgico, quo tollit cauſam ſine quâ non.Calamitoſius illud eſt de ſcabie, leprâ & exanthematis. Morbus eſt Intemperies: ſcabrities ſymptoma eſt qualitatis tactilis.Et hæc de Conformatione.

De morbis in Numero, CAP. XX.

§ 1. Acturus Montanus cap.9. de his morbis ex de Diff. morb. cap.8.videtur ante omnia monendus eſſe de vitio, quod ſubodoror in codicibus Gal. Ita autem concipio locum. Τῶν μὲν γὰρ περιττευόντων, τὰ μὲν ἐκ τοῦ γένους ἐστὶ τῶν κατὰ φύσιν, ὡς εἰ καὶ τῷ γένει ἕκτος δάκτυλος· τὰ δὲ ἐκ τῶν παρὰ φύσιν, ὡς ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τὸ πτερύγιον, ἢ ἐν ῥινὶ βλάστημα τῆς σαρκός.

§ 2. Videtur deinde monendus eſſe idem,ne ſubitò acceptet omnia,quæ Gal. dicit. Nimirum, ita comparare nos fas

eſt,

eſt, ut ex iis, quæ dicuntur, utiles indicationes hauriamus. At quid boni habemus ex diſtinctione illâ, Eorum, quæ abundant (tu puta, ita ut actionem lædant) alia ſunt ſ.n. alia p.n. Agimus de morbo, qui eſt p.n, poteſtne aliquid in eo eſſe, quod ſit ſ.n? Quale quale ſit id, quod lædit actionem, certè morboſum eſt. Seponamus igitur inanias has, & ſectemur utiliora. Vide Ioubert. dict.4.

§ 3. Quæro, quomodo faciat huc exemplum ſexti digiti? Licet enim monſtroſum ſit: incertum tamen eſt, an morboſum ſit? Imò pro roboris indicio habetur in Sacris, propoſito Philiſtæo illo ſedigito, ut hoc tantum dicam.

§ 4. Quæro etiam, quomodo ſenſus Gal. non laboret, niſi pterygion & polypus ita collocetur, ut ego collocavi? Vtut enim πτερύγιον ſit excreſcentia corneæ, ut polypus naſi: dici tamen non poſſunt eſſe ſ.n. quia lædunt actionem. Nec quidquam juvat oppoſitio inter has excreſcentias & calculos, lumbricoſque. Increpo enim illud, Lædunt actionem.

§ 5. Dicis, Sine injuriâ non potes rejicere diſtinctionem Gal. Certè, ſextus digitus eſt res naturalis: lumbricus eſt præternaturalis. Rideo! Quaſi lumbricus non eodem modo ſit naturalis. Vbi ubi

enim eſt,eſt à naturâ productus. At verò nos conſideramus non ſimpliciter, & Phyſicè: ſed Medicè, & quidem in homine,in quo non minus p.n. eſt, quam ullum aliud. Indicat enim expulſionem. Nec hilum valet expoſitio Montani, Lumbricus eſt ex materiâ inutili,& toto genere p.n. Sextus digitus ex utili &c.

§ 6. Interim accepto monitionem Montani,Iſtas res in numero,modò morbos eſſe, modò cauſas.Morbi ſunt, cum primò lædunt actionem: cauſæ, cum interventu alterius. v.g. Polypus eſt cauſa: quia lædit reſpirationem interventu alterius, carnis. An in obſtructionibus ab humoribus aliter ſe habeat res?

§ 7. Hanc in rem, Mont. c.10. tradit duas regulas, ex quibus diſcere eſt, I. Quando morbus ſit res in numero? quando cauſa? II. Quando utrumque,& morbus & cauſa? Quæ quia paulò meliora ſunt quæſtionibus Logicis,indicaſſe ſufficiat. De uſu gurgulionis ſeu columellæ quæ concionatur,ex trivio ſunt. Longè enim alia comperta ſunt.

§ 8. Quæ ſequuntur, faciunt mihi ſuſpicionem, Montanum hoc egiſſe, ut magnum exponeret librum. Quæſtio, quam proponit cap.11. paulò minus quam inepta eſt. Cum morbi in numero

duplices

duplices ſint, vel aucto, vel deficiente: ſi in numero deficiente ſint, cujus partis ſunt, illiuſne, quæ periit? an illius, quæ reſtat? Quis auſit dicere, Perditæ eſſe? Cum periit digitus, aut digiti internodium, jam morbus manus totius eſt: cum manus ſumma tota, brachii.

§ 9. In ſeq. capp. 12. 13. & 14. primum quidem proponit objectiones Argenterii contra numerum auctum, ad quas etiam reſpondit: deinde autem contra deficientem, quas ſimul diluit. Mihi pauca hæc ſufficiant. Vbi indicationes non variant, loquitur Gal. modò cum his, modò cum illis, prout illi morbos variè conſiderabant.

§ 10. Cum dicit Argenterius, In calculo non eſt ſanitas, ergò nec morbus: decipit in figurâ dictionis, ajebat SCHERBIVS. * Calculus non eſt morbus, nec ullo modo conſideratur ut pars corporis, quod Turriſanus volebat: ſed calculus in hac parte, cui inhæret, facit diſpoſitionem talem, quæ morbus eſt. Alopecia, & alii pilorum affectus, ſunt morbi in numero: pili enim ſunt partes corporis, non abnuente Montāno. Quod ſi curatur defectus ille, non curatis pilis, ſed intemperie cutis ſubjectæ: non id multum refert. Reverà, caſus pilorum eſt

* *Vide Ant-Eraſt. f. 118, 4.*

ſymptoma, & pendet ab intemperie cutis: interim aliter nos loqui nil prohibet, ab evidentiori ſc. captâ denominatione.

§ 11. Quæ cap. 15. ſpargit pro excuſando Gal. non ſunt magni momenti. Vt enim nuper dixi, non omnia poſſunt excuſari. Res eſt, tam in partibus agentibus, quam uſum præbentibus morbus eſt, non autem in illis quidem morbus, in his autem cauſa. Vide dictatum alt. Ioub. in l. de Diff. morb.

§ 12. Cæterum, attingit heic Montanus id, quod ſupra cap. 15. § 8. & 21. ex Ill. D. ab Aquapendente dixi, Actionem alias fieri ab uno inſtrumento, alias à pluribus κατ' ἐντελέχειαν agentibus. In poſteriori ordine cum ſint duæ valdè celebres actiones, vox & ſermo, quid dicit Montanus? Quod non capio, Plura illa inſtrumenta habere rationem unius. Interim innuit magis, quam dicit, Inter plura inſtrumenta, ad unam actionem concurrentia, unum eſſe; quod ſit princeps. Dico igitur, Inter duarum dictarum actionum, Larynx eſt pars princeps, niſi mavis, inter laryngis partes, γλωττὶς appellata. Ita in maſticatione quæ eſt pars princeps? Lingua. Atqui larynx & lingua ſunt partes diſſimilares? Hoc eſt, quod dico, doctrinam illam de parte principe ſimilari.

ſimilari non eſſe univerſaliter veram.

§ 13. Hęc deciſio ſervit iis etiã, quę c.16: agitantur. Rectè ait Mont. ſi rectè intelligas, ex Hipp. & Gal. ξύῤῥοια μία, ξύμπνοια μία, ξυμπαθεία πάντα. Intellectus eſt. In iis actionibus, quæ obeuntur à pluribus partibus, hoc fit ab hac illud ab hac. Hinc eſt, ut quo dignius eſt id, quod laborat, eò plus noxæ afferunt toti actioni. Manus totius actionem eſſe apprehenſionem, rectè dicitur: ſed ita, ut manus ſumma principatum obeat, brachium cum cubito ſerviat, quatenus, vel ſequimur res apprehendendas, vel diſtantia fortiter ſtringimus. Brachio igitur cum cubito manuque abſciſsâ, perit hoc totum, Apprehendere, ſequi, ſtringere: abſciſsâ manu ſummâ tantum, Apprehendere, & brachio ſuperſtiti ſupereſt, quodammodo ſequi & trudere. Iam ſi quæras, Quæ pars inter ſimilares potiſſimum hoc præſtet? dabit tibi Gal. muſculos.

De morbis in Magnitudine CAP. XXI.

§ 1. VT morbi in numero duplices erant, § 8. ita in magnitudine quoque (cap. 17.) ſunt alii in exceſſu, alii in defectu. Vtrumque accidit, vel toti corpori, vel certæ alicui parti. In toto

corpore, exceſſus quidem dicatur mihi Obeſitas, ſive ſolius pinguedinis ſit, ſive ſolius carnis, ſive utriuſque: defectus autem Gracilitas. Illius exemplum dat Gal. Diff. morb. 9. Nicomachum Smyrneum, quem Aſclepiades curârit. Ita enim lego. Talis etiam fuit D. Thomas de Aquino. Hujus ſunt calidi quidam, qui alimentum omne diſſipant, nec unquam corpus accipiunt, etiamſi pinguedine farcias. Talis fuerat SCHERBIVS in adoleſcentiâ, ut ipſemet ſæpè mihi, ſed qui in conjugio corpus ſibi conciliârat balneo aquæ dulcis.

§ 2. Et hoc quidem in latitudine ſanitatis, in qua ferè ἀτροφία dicitur: in morbis φθῖσις Tabes, utroque latè accepto vocabulo.

§ 3. Particularis obeſitas, ut ſic dicam, quibuſdam eſt in cruribus, ut & contrarius affectus. Quidam enim tam craſſas habent ſuras, ut indecorum ſit: quidam, paſſerum inſtar, exiles, idque in latitudine ſanitatis. Montanus etiam linguam ita increſcere poſſe autumat, quod neſcio. Idem Priapiſmum etiam huc accerſit, quod planè nego. Eſt enim à flatibus τὴν ῥυάδα (Ita enim malo cum Foëſio quam ῥοιάδα) in oculo huc facere vel ideò non credo, quia repugnat τὸ ἔτυμον. Particularis

cularis atrophia frequens eſt in artubus.

§ 4. Poſthæc cap.18. ſolicitè admodum diſputat Montanus, An perpetuæ veritatis ſit, quemadmodum in morbis numeri ſemper vitiatur etiam figura partis:ita in magnitudinis ſemper ſervetur? Apud me quia τῶν παρέργων eſt, non libet mihi pro Gal. autoritate tantoperè pugnare. Sit,an non ſit, perinde eſto. Logicum enim eſt.

§ 5. Idem dictum eſſe volo de quæſtione cap.19. An, veluti in morbis numeri excedentis proponebatur illa diſtinctio, quædam eſſe ſ. n. quædam p. n. ita heic quoque ſit? Ego paucis me expedio, Quidquid lædit actionem, eſt p.n. quale quale etiam ſit. Nec refert, ſi Gal. hoc,illudve dixit. Quo minus curo, quid vel Fuchſius comminiſcatur, vel Fernelius, vel Montanus ipſe.

§ 6. Hoc loco.cap.20. & 21. dux noſter facit excurſionem, An Gal. in definitione morbi intellexerit actiones ſolitas tantum, adeoque cæcitas, aliique morbi congeniti, non ſint morbi? An & quatenus morbi ſint diſpoſitiones?

§ 7. Quod ad priorem, ſuſcitavit hanc litem Turriſanus in Plusquamcommento, ſed præter omnem rationem. Galenus enim abſolutè loquitur in defi-

M 7 nitione

nitione ſuâ; è medio vulgo deſumtâ. Sed & Autor artis huc non it, cum ſermo illi ſit de iis actionibus, quas dudum aliquis exercuerit.

§ 8. Quod ad poſteriorem, ratio dubitandi eſt, In diſpoſitionibus eſt ordo partium, qui in numero non eſt. Montanus refert ſe ad ſuperiora, & dicit, Non eſt in numero numerante, abſtractivè: ſed in numero numerato, concretivè, cum parte, inquam, quæ numerum ſubit.

§ 9. Verum enim verò cum hinc ſequi videretur, Morbum in numero fore ſubſtantiam, dicit, Non ſubſtantia, v.g. ſextus digitus eſt morbus: ſed ſextus digitus ita diſponit manum, ut ſit inepta apprehenſioni, ut ſic loquar. Hinc liquet, planiſſimè heic eſſe ordinem.

§ 10. Rediens Montanus in viam, cap. 22. quærit, Atrophia ſitne morbus, an ſymptoma? Gal. enim dicit utrumque. Eſt utrumque! Eſt morbus: quatenus ita affectis perit corpus. Eſt ſymptoma: quatenus læſa actio facultatis nutritoriæ eſt.

§ 11. Excurrens iterum, quatuor integris cap. in locum Gal. Diff. morb. 8. aliquammulta proponit contra Fuchſium & Argenterium. Sum paucis contentus. τὰ κολοβώματα impune poſſunt dici morbi, tam in numero, quam in ma-

gnitu-

gnitudine. Quando autem hoc vel illud ſit, ingratum fuerit exponere. Logica enim ſunt, dico iterum. Vide Ioub. dict. 5. Com. dict.

De morbis in Situ. CAP. XXII.

§ 1. HEic (cap.27.) Montanus in ipſo limine cadit, ſecutus falſam lectionem Cod. Græcorum, qui habent, Diff. morb.10. συνθέσεως, cum θέσεως deberet eſſe.

§ 2. Ni fallor, locus ipſe & confuſaneus, & obſcurus eſt : ideò manum illi admovi in Patholog.cap.226.Heic,nullâ factâ in rebus mutatione,hanc ſolam paraphraſin dabo. Morbi in ſitu, dicere debet Gal. ſunt illi,cum partes vicinæ amittunt rationem ſitus naturalem,quem ſitum, non θέσιν tantum voco, ſed & ὁμιλίαν, καὶ κοινωνίαν. Accidit hoc quatuor modis.Horum primus eſt,cum,quæ contingere ſe debent,diſcedunt à ſe invicem, ut in luxationibus & ſubluxationibus. Alter eſt,cum, quæ adjacere ſibi mutuò debent, ſe invicem ingrediuntur, ut in herniis quibuſdam,cum per peritonæum ruptum, dilatatumve decidit inteſtinorum aliquod, aut etiam omentum. Tertius,cum,quæ disjuncta eſſe volunt, conaſcun-

naſcuntur, ut cum pulmo conglutinatur cum pleurâ, hepar cum ventriculo. Huc pertinent & foramina obliterata, in iis, qui ἄτρητοι dicuntur. Quartus, cum pars ſitum ſuum amittit ob ligamentum vel brevius, vel longius, unde fit, ut trahatur, modò in dextrum, modò in ſiniſtrum: modò longius eat, quam debebat: modò non perveniat, quo debebat. Hæc qui cum Gal. Montano, rerumque naturâ conferre volet, faciat.

Dubia quædam in genere CAP. XXIII.

§ 1. ABſolutis morbis Organicis omnibus Montanus, cap. 28. orditur telam valdè longam, contra Eraſtum imprimis, & Chr. à Vegâ, qui volebant, Morbos hactenus dictos non eſſe morbos, ſed cauſas morborum. De hoc negotio, vide, ſi ambagibus caperis, judicium primum Eraſti, Anat. p. 47. & ſeq. quidque reſpondeatur in Ant-Eraſt. f. 56. b. & ſeq. deinde, Eraſtum iterum, Anat. p. 88. & ſeq. Ant-Eraſt. f. 67. a. Ego carptim ago.

§ 2. Morbi omnes, dicebant iſti, non minus quam ſimilares vobis enumerati, Cauſæ ſunt, non morbi. Calculus v. g. eſt cauſa continens doloris, non autem morbus.

bus. Heic primum rideo ineptias. Calculus, per ſe conſideratus, neque cauſa eſt, neque morbus : ſed eſt fundamentum *ἀμετρίας* hujus, uno verbo, pars morbi eſſentialis : Calculus enim cum parte, cui inſidet, facit hanc *ἀμετρίαν*, quæ morbus eſt. Deinde, Cauſa continens, ut illi deſcribunt, nihil aliud eſt quam morbus ipſe, ut ſuprà deſcripſi ex Langio, aliiſque.

§ 3. Sunt, qui ſine pudore auſint jactare, Morbi in numero deficiente quomodo poſſunt eſſe morbi, cum pars abſens non poſſit agere. Neſcio quid dicam amplius? Pueri, qui adhuc ſub ferulâ ſunt. didicerunt hanc regulam ex Loſſio, Poſitis cauſis ſufficientibus, & non impeditis, ſequitur effectus. Hinc concludunt, ſi deeſt aliquid manui, quo minus apprehendere poſſit, quid fruſtrà diſputas? Si femur eſt egreſſum acetabulo ſuo, & impeditur ambulatio, quid moleſtus es?

§ 4. Non prudentiores ſunt in ſimilaribus. Si qualitas illa excedens, ajunt, eſt morbus, eo modo, quo mediocris eſt ſanitas : morbus & ſanitas different tantum ſecundum magis & minus. Quid abſurdi? Si qualitas illà ſe habet ut quatuor, eſt ſanitas: Si ut quinque vel ſex, eſt morbus. Non oportet iſta conſiderare Mathematicè : ſed quatenus latitudo quæ-

dam

dam ſanitatis eſt,cum quâ Anima in corpore durare poteſt. Hinc fit, ut verè dictum ſit, In ipſo morbo eſt ſanitas quædam. Niſi enim ita eſſet, nemo convaleſceret. Ob hanc cauſam puto etiam in ὑγιεινοῖς concedendam eſſe ἀειπάθειαν. Propter enim hanc utimur Alimentis. Propterea rectè intelligendum eſt, quod Ariſt. in Probl. ait, In ſanitate quietem eſſe: in morbo motum. Natura enim in morbo pugnat. Vide Eraſtum, Anat. p. 36.

§ 5. Pergit Mont. cap. 29. & de diſſimilaribus morbis quærit, An non ſint plures ſex deſcriptis? Gal. enim in de Conſt. artis requirit Eſſentiam etiam. Reſp. Eſſentia nihil aliud eſt, quam temperamentum. Ibi additur σύνταξις, ordo. Quo factum eſt, ut quidam morbos Ordinis velint. Reſp. I. Vel hoc etiam argumentum ſit, librum de Conſt. non eſſe Gal. II. Ordo non differt à ſitu, quamvis ſitus latius pateat.

§ 6. De morbis Conformationis peculiare movet dubium, cap. 30. Cur Gal. diſpeſcuerit in tres? Quid ex Curtio dicat Mont. videre poſſunt, qui volunt. Quid contra Curtium idem, non refero. Ipſe diſtinguit formam eſſentialem, quæ εἶδος ſit, ab accidentali, quæ μορφὴ. Cui differentiæ

ferentiæ quid opponi poſſit, dixi alibi.

§ 7. Tandem finit cap. 31. propoſitâ duplici quæſtione, An partes organicæ laborare poſſint morbis ſimilaribus? Et contra; An ſimilares morbis organicis?

§ 8. Ad hoc poſterius reſpondet negativè, Partes ſimilares morbis organicis laborare non poſſunt: ſi videantur tamen, laborare ut organicas. Heic meritò lucem deſideres! Qua enim conſideratione ſimilares ſunt ſimul diſſimilares? An quæſtio propoſita eſt de iis ſimilaribus tantum, quæ & ſunt, & dicuntur: non autem de iis, quæ dicuntur tantum? Venæ, arteriæ, nervi, muſculi reverà ſunt diſſimilares: quia poſſunt obſtrui. Non concoquo: dico igitur.

§ 9. Partes ſimilares, quatenus ſunt ſub primâ conſtitutione corporis noſtri, non poſſunt laborare morbis organicis: quatenus ſub ſecundâ ſunt (h. e. concurrunt ad facturam partium diſſimilarium) poſſunt. Veruntamen, non dicuntur tum laborare ipſæ, ſed organum, quod conſtituunt. Res exemplo fiat clara: Obſtructio hepatis non eſt alibi, quam in venis: tamẽ non dicuntur laborare venæ, ſed hepar. Ita de liene, de cerebro, de aliis omnibus.

§ 10. Ad prius illud reſpondet, & rectè, Non ſunt æſtimandi morbi ex læsâ actione:

actione: ſed ex ſuâ naturâ. Inflammatio eſt inflammatio, ſive hanc, ſive illam lædat actionem. Ita in oculo licet inflammatio ſit læſio actionis inſtrumentariæ: non eſt tamen morbus inſtrumentarius ſeu organicus, niſi per accidens, quatenus vexat ſimilares partes omnes, quæ ad oculi conſtitutionem concurrunt. Propterea jam concludit affirmativè, Partes diſſimilares poſſunt laborare morbo ſimilari. Hæc cum impugnaſſet Eraſtus, Anat. p. 218. extr. & ſeq. ſuſcipit illorum defenſionem Mont. in Ant-Eraſt. f. 141. a. & ſeq. Tu videris.

Ad Librvm. V.

De Continui ſolutione, ejuſque cauſis, CAPVT. XXIV.

§ 1. HActenus quia duo ſumma morborum genera venati ſumus, Vnum quidem è natura & conſtitutione partium ſimilarium, quod Intemperies ſub ſe habet; alterum autem è naturâ & conſtitutione diſſimilarium, quod morbos Organicos: ſi præter has alia ſit & tertia natura conſtitutiove, quâ malè ſe habente, malæ fiant actiones, utique de illa agendum erit.

§ 2. At-

§ 2. Atqui eſt tertia quædam natura, communis tam ſimilaribus, quam diſſimilaribus, Vnio ſeu continuitas, Ergo erit tertium morborum genus.

§ 3. Quemadmodum igitur partes ſimilares ſunt unæ, continuæve, unamque actionem edunt; quemadmodum diſſimilares ſunt unæ, continuæve, unamque actionem perfectam edunt: ita unitate illâ ſolutâ, utrinque fit morbus, qui Vnitatis ſeu Continui ſolutio dicitur.

§ 4. Cæterum, quia unum multis modis dicitur, 5. Metaph. 8. ne qua deceptio oriatur, ſeligere fas eſt nobis Vnum illud, quod huc facit. Id verò eſt, cum ex duobus extremis fit unum.

§ 5. Hoc cum fiat tam ab arte, quam à naturâ: relinquamus illud, acceptemus hoc.

§ 6. Vnum ergò, aut, ſi mavis, Continuum Naturâ eſt id, cujus motus eſt unus, tempore indiviſibilis.

§ 7. Hæc definitio licet ſit à poſteriori, ut Monlorius habet tract. de Vniverſ. quadrat tamen rebus noſtris, ſi rectè accommodetur.

§ 8. Accommodatio eſt, ut dicamus, Vnum & continuum modò diſtingui, modò non. Diſtinctio eſt, Vnum ſeu Continuum aliud eſt verè tale, id vid. cujus

cujus motus tempore diviſibilis non eſt, & propriè ita dicitur: aliud non verè, cujus motus tempore diviſibilis eſt, & eſt Continuum, non Vnum.

§ 9. Hoc ita explicat Montanus. Linea vel recta eſt, vel flexa. Illius motus magis eſt continuus: hujus minus, quia angulos habet, ſecundum quorum angulorum motus, modò hæc pars movetur, modò illa.

§ 10. Rectæ lineæ reſpondet os v. g. femoris, per ſe. Moventur enim omnes ejus partes ſimul & ſemel, & fit non niſi motus unus. Flexæ, idem os femoris, ſed dearticulatum cum tibiâ. Poteſt enim utrumque os ſimul moveri: poteſt & alterutrum ſeorſim, & fit diverſus motus. Ita poſſum movere hunc digitum, immoto altero: poſſum hujus digiti articulum, immoto vicino.

§ 11. Et hæc quidem in Philoſophia ita diſtincta ſunt: at in Medicinâ non ſunt, ratione τῦ τρόπυ τῆς ἐπιϛήμης, qui τὴν ἀκρίβειαν non admittit. Perinde enim Galeno eſt, ſive Vnum ſit, ſive Continuum, vocatque ſine diſcrimine λύσιν τῆς συνεχείας ἢ ἑνώσεως, Solutionem vel continuitatis, vel unionis.

§ 12. Sed quare hic morbus dicitur Communis, tam ſimilaribus, quam diſſimilaribus

milaribus partibus? Fortaſſis, quia ſemper in utriſque ſit? Non: ſed quia contingere poteſt utriſque.

§ 13. Hoc ipſum multas habet ambages, quas ita ſupero. Eſt in ſimilaribus, quoties intemperies alterutra accidit, tu puta, vel cum, vel ſine materia. Eſt in diſſimilaribus, quoties Vulnus, Vlcuſve. Eſt in utriſque, quoties Intemperies alterutra ſupervenit Vlceri, Vulnerive.

§ 14. Heic quid litigent Eraſtus, Anat. p. 228. & Montanus, in Ant-Eraſt. f. 155. a. videant, qui volent: ego enim rectà ad Cauſas deſcendo.

§ 15. Has intelligere non licet, niſi Montanum diſtinctione locuplemus, hac vid. Continui ſolutio alia in oculos incurrit: alia non incurrit.

§ 16. Poſterior hæc eſt Intemperies utraque dicta, cum inter fibras partium ſentientium inſinuat ſe materiæ, modò parum modò multum, quod tendendo & divellendo dolorem facit. Nimirum, hæc eſt gemina doloris cauſa, de quâ multi tam multa.

§ 17. Prior illa iterum eſt duplex, & ſumitur vel à diviſis partibus, vel à causâ dividente.

§ 18. Cum loquor de partibus, dico, Vel in oſſibus fit, vel in carne, cæteriſque partibus mollibus.

§ 19. In

§ 19. In oſſibus iterum duplex eſt. Harum una ἄγμα eſt, ἢ κάταγμα, ſpeciatim, ſi propè articulum ſit, ἄπαγμα, Latinis Fractura aut Ruptura : altera, ἀνάβρωσις ἢ διάβρωσις, quæ in Cartilaginibus fortè etiam locum habet, Eroſio aut Caries. Dicitur etiam τερηδὼν, quaſi τρηδὼν, Caries.

§ 20. In carne vulgò admittitur illa ſubdiſtinctio, quod alia Continui ſolutio ſit in Carnosâ ſubſtantiâ, alia in Fibrosâ. Ego non admitto, quod caro propriè dicta nihil aliud ſit quam recens circa fibras ſanguis concretus : qui quomodo ſeorſim à fibris lædi poſſit?

§ 21. Subſtituo igitur illi aliam, & dico, Alia Continui ſolutio eſt in vaſis : alia in fibris: alia in utriſque.

§ 22. Has differentias agnoſco fieri à quatuor cauſis dividentibus, à Montano cap. 2. recenſitis.

§ 23. Prima eſt τομὴ ſectio, quæ Vulnus facit, idque vel punctim, vel cæſim, quando & vaſa & fibræ læduntur.

§ 24. Altera eſt διάβρωσις, eroſio, corroſio, quando à pure ſubſtante Vlcus fit, vel etiam ab humoribus acribus exulceratio quædam interior.

§ 25. Tertia, eſt θλάσις, contuſio, cum abſque externo & viſibili vulnere, vaſa

vaſa quaſſantur, ut fiat ἐκχύμωμα, ſugillatio.

§ 26. Quarta, τάσις, tenſio, quæ fit à multis cauſis, copiâ ſanguinis, flatibus, vi externa, &c. de quibus in ſeq.

De partibus ſimilaribus excurſus Phyſiologicus Montani. CAP. XXV.

§ 1. ITa loquor: excuſationem enim, quam profert, non accepto. De nomine tantum hoc moneo, Fruſtrà exculpare illum velle Galenum, quaſi Ariſtoteli tribuerit, quod Anaxagoræ eſt. Ὁμοιομέρεια enim illa Anaxagoréa longè aliò ibat, & πανσπερμία quoque vocabatur.

§ 2. De definitione partium dictarum acturum, præmonitum voluiſſem, Primum omnium definiiſſet τὸ ὁμοιομερὲς: deinde vidiſſet, An, & quouſque partibus his tribui poſſit?

§ 3. Ita quidem eſt, Similare eſt id, cujus partes, tum inter ſe, tum toti ſimiles ſunt, ideoque idem cum toto nomen habent: Diſſimilare contrà, cujus partes non ſunt ſibi ſimiles, neque poſſunt eodem nomine vocari. Ita eſt, inquam: ſed profectò rebus noſtris ſimpliciter accommodari non poteſt.

§ 4. Hujus negotii difficultas ſtatim inde apparet, quod definitio tradita non competat omnibus, à Gal. numeratis partibus ſimilaribus. Imò, quod non conſtet ſibi in numero illarum. Sed rectè excuſatur, quod iis locis, quos habemus, non fuerit hoc ei propoſitum: fecerit autem procul dubio in l. de Similaribus, quos non habemus.

§ 5. Quâ acceptâ παραμυθίᾳ, non eſt opus illâ Argenterii, Galenum modò intueri formam harum partium, modò materiam; ideò jam huc referre, jam illuc.

§ 6. Ad rem. Dexterrimè Montanus recipit Fucſii reſponſionem, Similarium partium alias reverà eſſe, quod dicuntur: alias videri tantum, & ad ſenſum eſſe.

§ 7. Hanc ex 1. Fac. nat. 6. ita declaro, Non eſt opus nobis heic Phyſicis ſpeculationibus, quid ſit ſimilare, quid diſſimilare: quin opus eſt Anatomiâ ſolâ. Hęc quaſcunque & quotcunque dederit nobis ſimilares, (tu puta, quæ ad conſtitutionem diſſimilarium concurrunt) tot erunt. v.g. oculo diſſecto, quot repereris partes, è quibus ille componitur, tot erunt oculi partes ſimilares. Et ſic de cæteris diſſimilaribus.

§ 8. Hoc amplius doceo ex. 1. Ex.

Anat.

Anat.4. 2. ejuſdem 2. & fortè alibi. Anatomia alia exquiſita eſt : alia non eſt. In hac ſufficit inſpectio ſuperficiaria, & Medica dici poteſt : in illâ accuratiore opus eſt,& eſt Phyſica,quam Medicus aliquando Sophiſticam dicit. Scio, quid heic argutari poſſit quis, contra priſcam ſapientiam : ſed ſino.

§ 9. Harum partium numerum qui mecum inire volet,hic eſto. I. in ordine eſt Caro propriè dicta. II. Fibræ. III. Membranæ. IV. Venæ. V. Arteriæ. VI. Nervi. VII. Ligamenta. VIII. Muſculi cum Tendinibus ſuis. IX. Cartilagines. X. Oſſa. XI. Vngues. XII. Pili. XIII. Glandulæ. His ſuperaddo Cutim, Cuticulam, & Membranam carnoſam. De his quia periit,ceu dixi, labor Gal. auſus fui ego ſuperioribus annis tale quid. Attigerimne ſcopum, judicabunt boni & ſapientes, ſi quando, favente Mercurio, prodibit.

De nominibus, quæ huc faciunt
CAPVT. XXVI.

§ 1. SPectat quidem hæc res ad POESIVM : verum, quia Montanus ejus perſonam ſibi ſumit cap. 11. paucis ego defungar.

§ 2. Quod ad Oſſa, ſiquidem in univerſum conſideres, addi debet vocibus ſuperioribus ἀπόκλασμα: ſin in capite ſolo, quinque ſunt morbi apud Hipp. l. de Vuln. cap. quos breviter rememorabo ex Montano.

§ 3. Prima ῥωγμὴ ἢ ῥῆξις eſt, fiſſura, ſciſſura, Celſo *Rima*. Hæc quia fit à telo gravi, retuſoque, dicitur etiam θλάσις ἢ θλάσμα, Ionicè φλάσις ἢ φγάσμα, *Contuſio*. Inter has quæ vix apparet, τριχισμὸς dicitur.

§ 4. Τῆς θλάσεως ſpecies altera eſt, quæ manifeſtum ſui indicium non præbet. Quâ de quæ controverſa ſunt inter Hipp. & Gal. vide ipſus apud Montanum.

§ 5. Tertia eſt, ἔνθλασις ἢ ἔσφλασις, *Illiſio*, cum cranii pars deprimitur. Hujus ſpecies apud Gal. in Meth. eſt ἐγγίσωμα, καὶ καμάρωσις.

§ 6. Quarta, cum primus & ſecundus modus concurrunt.

§ 7. Quinta dicitur ἕδρα, & διακοπὴ, fortè etiam ἐκκοπὴ.

§ 8. In reliquis oſſibus ſuperſunt duo modi, 6. Meth. 5. quorum alius fuit καυληδὸν, *per transverſum*: alius χιδακηδὸν, *per rectũ*: alius ῥαφανηδὸν, *partim hoc, partim illo modo*. Sed curioſa eſſe hęc, fatetur Gal. ipſe.

§ 9. Et

§ 9. Et hæc de oſſibus : In carne eſt σπάσμα, quod præcipuum exhibet negotium Græcæ linguæ imperitis, quia confundunt cum τῷ σπασμὸς, ut ſuprà dixi. Hac de re bis agere voluiſſe Comitem noſtrum, cap. 12. & 29. equidem demiror! Quid σπασμὸς ſit, non debeo repetere, ne Montani culpam in me transferam: τὸ σπάσμα vel invitis obtrudam, ne porrò claudicent. Ignorantiam fovet, quod malum apud nos infrequens ſit, cum in palæſtris veterum frequentiſſimum eſſet. Docet id Gal. 3. Off. Med. 30. cum ait, τὸ σπάσμα γίνεται περὶ τὰς τῶν μυῶν ἶνας, *Spaſma fit in fibris muſculorum*, non *circa fibras*, tu puta, cum transverſim rumpuntur, ſed ſine ſanguinis effuſione. Ejus rei exemplum eſt 2. Ex. Anat. 4. in rupto toto muſculo. Hunc affectum dici Græcis etiam ῥῆγμα, καὶ πίγμα, ut libenter concedo Foëſio : ita nolim illi ſicco pede tranſita duo illa loca, quæ è tenebris nos in lucem protrahunt. Eidem obſervatum vellem, cum ſimplici eadem eſſe duo compoſita, ἀπόσπασμα καὶ διάσπασμα. Quod quia probavi in Iſagog. c. 4. parco jam operæ. Hoc tantum litiganti Montano cap. 30. oggero, Ne poſtulet à Gal. nominum accurationem, quam nuſpiam promiſit.

§ 10. Τραῦμα ἢ τρῶμα *Vulnus* eſt à telo acuto. Nec alio eſt opus, niſi fortè illo. Cum dicitur, aliud eſſe in parte carnoſâ, aliud in fibroſâ, intelligi fortè debere ita, Aliud eſt in parte muſculoſa, eine Fleiſch Wunde; aliud in fibroſâ, ſeu tendinoſâ, ſeu excarni.

§ 11. θλάσις ἢ θλάσμα fit à re gravante & comprimente, *Contuſio*. Hujus ſpecies ἐκχύμωμα eſt, *ſugillatio*, cum pars liveſcit & vireſcit, ſine cutis apertione. Quæ dubia Montanus ciet, nullius momenti ſunt. Objectio Argenterii vaniſſima. Et hoc ſatis eſt:

§ 12. Satis etiam eſt dictum, ἕλκος, *ulcus*, fit per διάβρωσιν ab humore acri. Quæ alia Montanus controvertit, de oppoſitione carnis & oſſium, πάρεργα ſunt. Inſtantia Argenterii puerilis eſt.

§ 13. Quam grave fuerit explicatu Montano, *Quatenus ſolutio continui ſit morbus communis?* ex concluſione agnoſcas. Indicatâ, inquit, hac à me difficultate, exſtabit aliquando quiſpiam, qui eam enodabit. An ego is fuerim, ſup. cap. § 3. judicent ii, quibus permiſſum eſt judicare. De acromio Gal. vide in Iſagog. laudatis cap. 6.

Controverſia una & altera, CAP. XXVII.

§ 1. MIratur Montanus cap.20.varietatem ingenii humani de hoc negotio:dabo ego varietatis cauſam. *Vbicunque error committitur ab initio, erratur poſteà in infinitum.* Hoc Averroem ita proponere intelligo. Viator cum primum pedem ponit extra τὴν λεωφόρον, ut Græci loquuntur, parum id videtur; cum ſecundum, id quoque parum eſt; cum tertium, & ſic deinceps:at verò cum duravit id per quadrantem horæ, tum demum agnoſcit,quantoperè abſit à ſcopo ſuo. Ita in diſciplinis, cum primus error levis eſt,excipit hunc alter,qui gravis, & ſic deinceps, uſque dum ad principium revertatur.

§ 2. Quod ad rem noſtram, Veteres docebant, Continui ſolutionem eſſe morbum communem, h.e. tam ſimilarem, quam organicum. Hoc quei fieret, cum idem Aver.3. Coll.11. aſſequi non poſſet,aſſeruit,*Eſſe ſimilarem tantum,nullo autem pacto organicum.*

§ 3. Huic tubicinem ſubjicit Conciliator, Diff.75. In eâdem caligine cum verſaretur Argenterius, lib. de Morb.

gen. 2. 12. & 13. pertendit, *Continui ſolutionem eſſe cauſam morbi organici tantum, non verò ſimilaris etiam.* Heic tu videas ſtudia partium, ſatagentium de tutando Galeno!

§ 4. Quod mireris, primam defenſorum aciem Fernelius ducit, de quo Montanus judicat, *Pervertere totam Gal. doctrinam, totam adeò rei naturam.*

§ 5. Secundam format Leonicenus in quæſtione peculiari, quem Noſter refutat quidem, ſed nihil ſolidi affert.

§ 6. Tertium Argenterius inſtituit. Huic ſtatim opponit Montanus I. Alexandrinum in Ant-Argent. deinde Argent. ipſum, ſub nomine Solenandri, in Apologiâ, mox I. Alex. in Defenſ. contra Ant-Arg. Sed finis eſt, *Machinam eſſe portentoſam & monſtroſam, &c.*

§ 7. Quartam dare poteſt Fuchſ. in Inſtit. qui Alexandrini vitulâ arat. Verum Montanus noſter arguit illum inſcitiæ, quæ & rationi & ſenſui adverſetur, &c.

§ 8. Montanus tandem ipſe, Argenterio apprehenſo, ex propriis ipſius hypotheſibus convincere vult, *Continui ſolutionem, & morbum eſſe, non cauſam: & morbum tam ſimilarem, quam organicum.* Quantum proficiat, videat, qui vult,

in

in longiſſimâ illa deductione cap.27. Ego,quod dixi,dico denuo,*Continui ſolutio eſt morbus ſimilaris, quatenus Intemperies dicta, utraque dolorem ciet:eſt organicus, quatenus Vulnus,ulcuſve facit: eſt uterque, quatenus cum vulnere, ulcereve; alterutra eſt intemperies dolorifica.*

§ 9. Poſt hæc omnia peculiariter apprehendit Montanus cap.28. uſque ad finem Argenterium juratum Gal.hoſtem, & oſtendere vult, *Galenum non fuiſſe varium in numerandis continui ſolutionis differentiis:* verum ita ſe gerit,ut alio accuſatore non indigeat.Dico paucis,& ſine affectu,*Gal.non erat* τῶν ἀκριβούντων, ἀλλὰ τῶν ἐρώντων,quod dicunt Græci. Hoc capi volo ita,ut alibi me explicui,In lectione ipſius opus eſt judicio. Et hac ratione abſolvo meâ Iouberto, quem Montanus in Peroratione jure inceſſit.

Auctarium de Causâ continente,

CAPVT. XXVIII.

§ 1. QVia Montanus l.4. c.6. mentionem fecerat *Cauſæ continentis*, de quâ extat integrum ſcriptum Eraſti;& verò Mont. multò antè l.2. c.35. & 36. manifeſtè illam damnârat: Eraſtus, Anat, p.101, & ſeq. reſumit negotium,

& latè tractat. Hujus filum ſecutus videbo, tam quæ dicit ipſe, quam quæ Mont. in Ant-Eraſt. f.79. non aliter acſi liber ipſe Eraſti eſſet ad manus.

§ 2. Antè omnia libet mihi formare ſtatum controverſiæ, ne cum pleriſque omnibus parietes in tenebris palpem. Fundamenti loco ſit illud, *Cauſam continentem eſſe ex Philoſophiâ Barbaricâ dictâ, è quâ deſumſerunt Stoici, & inter Medicos Pneumatici, Methodicique defenderunt.*

§ 3. Hi omnes volebant, *Res ſublunares conſiſtere non poſſe, niſi,* ut Horatius loquitur, *divinæ particula auræ miſceatur, niſi Spiritus intus alat*, ut Virgil.6. Æn. Vterque enim poëta Stoicus fuit.

§ 4. Hæc *particula*, hic *ſpiritus* nihil aliud eſt, quam *Anima mundi Platonica*, quam omnia vi ſuâ continere dicunt ita, ut ipſa à nulla aliâ contineatur, ipſa ſibi ſufficiens.

§ 5. Contra hanc diſputat Gal.l. de Pleth.3. D. item l. adv. Iulian.6. I. *Si omnia*, inquit, *habent hanc cauſam Continentem*. hæc rurſus aliam habebit, atque hæc iterum aliam, & ita res ibit in infinitum, niſi ad DEVM tandem deveniatur. Contrà eandem Alexander quoque Aphrodiſ. diſputat l. de Miſtione.

§ 6. Talis aliqua cum in morbis etiam

etiam quæreretur, neque certi quid dici poſſet: itum fuit ad varias ſententias.

§ 7. Quidam Galenum etiam implicuerunt, non in ſpuriis tantum libris, ſed & in legitimis, & ita definierunt, *Cauſa continens eſt, quâ poſitâ, res ponitur: qua ſublatâ res aufertur.* Cum ſto ad ſpeculum, addebat SCHERBIVS, imago mea adeſt: cum abeo, abit & illa.

§ 8. Hoc voluiſſe ajunt illum 1. Loc. aff. 2. illis verbis, *Quo tangente, certus affectus* (πάθος) *in nobis fit, quoque remoto, ſubitò ceſſat, id cauſam credunt eſſe omnes homines.* Ex hac confeciſſe creditur Valleſius ſuam, 4. Controv. 3. *Cauſa continens eſt, quæ non quidem neceſſariò rem efficit, nec ſimpliciter poſitam rem infert: ſed alterum tantum,* ſcil. Quæ, dum facit, ita facit, ut, eâ ſublatâ auferatur.

§ 9. Quo loco monendi ſunt parum cauti, Conſiderari hanc cauſam, vel in rebus jam factis, vel in iis, quæ ſunt in fieri. De prioribus accipiebant Stoici. Quod cum defendere non poſſent Medici, itum fuit ab aliis ad poſteriora. Hoc factum eſt dudum ante Galenum: ideò Gal. cum illis non rarò loquitur. Hoc fecit Valleſius, uſus exemplo pulſus. Pulſus ut faciat, inquit, tres deſiderantur cauſæ continentes, Facultas, inſtrumentum &

uſus: ut deficiat, ſatis eſt, ſi una illarum deſit.

§ 10. Quo dato, non jam quæſtio erit de unâ continente, ſed de pluribus. Non erit etiam quæſtio de tali causâ, quam Gal. deſcribit, *Quâ poſitâ, &c.* ſed de altero tantum, *Quâ ſublatâ, &c.* Non erit tandem quæſtio de causâ *materiali*, quò trahunt quidam, ſed de *efficiente* ſolâ.

§ 11. His præhabitis, converſus ad res noſtras, dico. Morbus conſiderari poteſt dupliciter, Aut ut jam *factus* eſt: aut ut *fit*. Heic enim ſubſiſto, nec addo cum Pacio, Com. in 1. Meth. col. 296. morbum *futurum*, quem puto cum *fiente* eundem eſſe. Tu, qui cauſam hanc foves, dic mihi, In utro vis illam collocari? An in facto? Non videtur fieri poſſe. Is enim jam actum habet, jam eſt in termino motus, æger jam decumbit, adſunt hæc, illa ſymptomata.

§ 12. Hoc declaro. In univerſum ita eſt, In iis, quæ jam facta ſunt, quæ, inquam, ita facta ſunt, ut non amplius fiant: in iis, non habet locum *Cauſa efficiens*. Effectus enim jam adeſt.

§ 13. Nec obſtat, ſi ulterius progredi poſſunt. Intelligimus enim cum reduplicatione Ariſt. *Quatenus facta ſunt*. Eatenus enim ratio efficientis eſt, ut ſit principium

pium unde motus, qui motus ſimul atque eò devenit, ut aliquid factum ſit, ut, inquam, actio ſit læſa notabiliter: jam eſt habitus, quo præſente, ceſſat motus, & conſequenter actio motoris, h.e. cauſæ efficientis.

§ 14. Sed quatenus morbus eſt factum quid? Moleſtus es. Morbus eſt terminus motus, non reſpectu τῆς ἀμελείας, *relationis*: ſed reſpectu fundamenti ſui, corporis ſic affecti.

§ 15. Nondum capio, dicat quis. Oportet morbus jam eò devenerit, ut acquiſiverit formam ſuam. Hæc enim eſt terminus motus, v.g. in pullo. Dico paucis, Eſt ita. Verum tu mihi diſtingue formas ſubſtantiales ab accidentalibus. In pullo v.g. forma ſuperior ſeu ſubſtantialis eſt id, unde dicitur pullus: in eodem eſt forma quædam inferior, & accidentalis, temperamentum. In medicinâ quia ſubſiſtimus in formâ inferiori, is ipſe effectus eſt forma, nec alia in morbis forma eſt, quam hæc.

§ 16. Hinc ergò excluſi Medici quidam, inficetè ab *Efficiente* ad *Materiam* eunt, ne, quod eſt, victi videantur? Sed age, morigeremur illis, hinc facto exordio.

§ 17. *Materia* eſt duplex, *In quâ*, & *Ex quâ*. Materia in quâ eſt ſubjectum, eſt

N 7 corpus

corpus vivens, animatum, aut quomodocunque appellare velis. Apud enim Ariſt. tam ægrotare, quam benè valere dicuntur de iis tantum, quæ vivunt. Quod quia præſupponitur ab omnibus hominibus, non debuit Fernelius in definitione *Partis* collocare τὸ *Vivens*, ut hoc obiter moneam. Scitur enim de cadavere non agi, vel in Phyſicis, vel in Medicinâ.

§ 18. Hoc enucleandum magis eſt. *Subjectum* morbi eſt duplex. Alterum *totum & adæquatum*, cum dico, Petrus ægrotat, Paulus, hic, ille. Alterum *particulare*, cum, ægrotante hepate v. g. tamen dico, Petrus ægrotat, &c. Vtrobique morbus duas habet partes eſſentiales, *Materialem* & *Formalem*. Intellige tu materiam in quâ: intellige formam, quam dixi eſſe in miſtis, quà miſta ſunt, à quâ formâ morbus habet, ut ſit talis, v. g. febris. Hæc enim calor eſt p. n. in quo conſiſtit τὸ εἶναι febris, propter quem calorem dicitur febris,

§ 19. In hoc calore (ne ab exemplo diſcedam) duo conſiderantur, alterum *Calor*, quà calor, qui eſt *materiale* illud, quod quærimus fundamentum relationis: alterum *Calor talis*, ἄμετρος, in quo eſt *formale* illud, quod quærimus ἀμετρία, relatio ipſa, unde febris dicitur febris, in quo eſſentia febris eſt, &c. § 20. Hoc

§ 20. Hoc amplius declaro. Sanguis tantum habet caloris, quantũ à corde accipit, 1. Temp. ult. ex. Non magis enim tantum requirit calorem, quam tantũ. Hinc è cichorio, lactuca, ſemine papaveris, Melanzanis hodie Italis dictis, &c. æquè (ὡσαύτως, inquit Gal. 3. Temp. 4.) ſanguis fit, atq; ex allio, porro, cepis: ſed non ejuſdẽ gradus. Hic ſanguis in alio corpore calet, ut duo: in alio ut tria, in alio ut quatuor. In corpore meo ſenili ſatis eſt, ſi caleat ut duo: ſi ulterius incaleſcat, ut tria, ut quatuor, jam morbus eſt. Contrà in milite aliquo ſtrenuo, cum calet ut quatuor, benè habet: ſi deſcendat ad duo, ad tria, jam ægrotat. Et ſic in Intemperiebus ſe habet:

§ 21. In morbis Organicis ita. Sextus digitus (nihil enim prohibet hoc exemplo uti) eſt materiale illud, eſt fundamentum illud, eſt ἄμετρον illud, quo præſente læditur actio manus, apprehenſio: ſextus ille digitus collatus cum quinque reliquis, conſtituit ἀμετρίαν illam, relationem illam, formale illud, quod morbus eſt, læditque actionem manus.

§ 22. Quemadmodum igitur ſanguis, conſideratus ut pars animalis, à naturâ factus ad nutritionem corporis, habet rationem in ſe & ſanitatis & morbi, Illius, cum in hoc gradu eſt, Hujus, cum in

in alio:ita ſextus digitus ſimpliciter habet rationem morbi, quatenus conformatio eſt p. n. & per illam apprehenſio fit deterior.

§ 23. Nimirum, *Sanitas* & *Morbus* per ſe,ut ſunt συμμετρία & ἀμετρία, non ſunt termini motus, ſed mutantur relationes mutatis aliis, ut Ariſt. loquitur, fundamentis ſcilicet. Idcircò conſiderat Medicus, non calorem tantum, ſed & gradum caloris, ut, eo in melius mutato, aſſequatur finem ſuum, qui eſt, ut homo habeat ſanguinem rectè ſibi contemperatum. Ita ſextum digitum conſiderat, non tantum ut digitum, ſed & ut ſupernumerarium, quo reſecto, apprehenſio fiat melior. Et hæc eſt *Materia in quâ*, quam illi rejiciunt.

§ 25. De *Materiâ ex quâ*, quam receptam volunt, loquens Pacius, Com. in Meth. ſtatim nauſeam mihi movet diſtinctione illâ nudiustertius repertâ, *Morbi alii ſunt materiales, alii immateriales.* Si enim rectè perpendas rem, materiam omnes morbi habent, fundamentum ſc. illud relationis, de quo dixi. Sed tranſeat.

§ 26. Non minus nauſeo ad diſtinctionem alteram, quamtumvis vetuſtam, *Materia hæc, vel ſecundum naturam eſt, vel præter.* Vt enim ſuprà dixi, Quod eſt

p.n.

p.n. eo modo, eo reſpectu eſt p.n. quo officit actionibus. Et hæc eſt conſideratio Medica, quæ ſola heic regnare debet: at Phyſica, quæ conſiderat rem, ut eſt à naturâ producta, debet hinc faceſſere. Sed tranſeat hoc quoque.

§ 27. Morbi illi *materiales* neotericorũ, qui ſunt? *Qui*, dicunt, *habent materiale quid, quod movendum eſt.* v.g. in febribus putridis ſunt humores, qui fomitem præbent febri. Ego video, perdere illos hoc ipſo dimidium cauſæ ſuæ. Dico enim, Si quidam morbi abſque hac materiâ, & conſequenter causâ continente, ſubſiſtere poſſunt, fit mihi veriſimile, omnes poſſe illâ carere.

§ 28. Propterea concludo, Quemadmodum nullus morbus eſt abſque materiâ in quâ: ita omnis morbus eſt abſque materiâ ex quâ, de qua illi ſomniant.

§ 28. *Somniant*, dicis? Hæc quidem clariſſima injuria eſt. *Somniant*, dico. Rogati enim cauſam afferunt quidquid in buccam venit. Omnium ineptiſſimi ſunt, qui à materiâ ad efficientem provolant. Eſtne materia efficiens? & contra?

§ 29. Neſcio ſatis, an prudentiores ſint, qui audent vociferari, Cauſa continens conſiderari poteſt, & in efficiente & in materiâ. Niſi fallor, conciliatio hæc debet

debet eſſe utriuſque ſententiæ, & eſt planè gemina cum Gal. illâ, Apoplexia partim in ventriculis eſt, partim in corpore cerebri.

§ 30. Summa, *Efficiens cauſa* non eſt: quia morbus, quem concipimus ut factum quid, jam eſt effectus. *Materia in quâ* non eſt, ipſis adverſariis fatentibus. Reſtat igitur ſit *Materia ex quâ*, de quâ audire cupio. quid ſibi velint? Et ne ab exemplo diſcedamus, Materia, quæ febrim putridam facit, cujus cauſæ rationem habet? Antecedentiſne, quam *προηγουμένην* vocant? an Continentis? Si continentem elegeris, regeram ego, Materia illa non poteſt ſuſtinere nomen cauſæ continentis, quomodocunque etiam definieris. Cur? Quia ſublatâ etiam illâ, tamen febris manet, docente id Gal.

§ 31. Quei hoc? Quia eſt factum quid, quia calor febrilis jam ita eſt impreſſus humoribus, ut abſque materia duret, quamobrem opus eſt alterantibus. Quid igitur tandem eſt materia illa, ſi non eſt cauſa? *Eſt pars morbi eſſentialis*, fundamentum illud de quo jam toties.

§ 32. Heic iterum vide mihi, ô quiſquis es, conciliationem bellatulam, ſimilem illi, quæ fuit § 29. !O, inquiunt, utrumque eſt, Et cauſa continens materia-

lis,

lis, & pars morbi. Inter hos Montanum eſſe, Pacius ait,Com. in Meth. col. 306. O Montane , ut tecum agam , quomodo non confundis cauſam cum cauſato? Ita ignis,qui aquam calefacit, erit idem cum aquâ calefactâ,quo nihil abſurdius.

§ 33. Ergone ſi materia illa febrilis non eſt cauſa Continens, eſtne Antecedens ? Dictum alibi eſt , vocari hanc cauſam ita,non reſpectu morbi,ſed corporis, in quo morbum excitat. Quo præſuppoſito , dico , Aut conſideratur , quatenus morbum factura eſt , & ad nos hoc loco & tempore non pertinet : aut quatenus jam fecit. At verò quatenus fecit, quatenus morbum actu conſtituit,quatenus ſine eâ morbus non eſt:eatenus eſt , ut dixi, pars morbi eſſentialis, imò verò morbus ipſe.

§ 34. Res declaretur exemplo calculi. Ponamus , antecedentem hujus cauſam eſſe pituitam copioſam, ex voracitate collectam .Hæc,quamdiu pituita eſt,cauſa antecedens eſt:at poſtquam ita concrevit,ut calculus ſit, & obſtruat ,jam eſt vel pars morbi , vel morbus ipſe. Calculus enim per ſe , ut materia eſt p.n. non parit urinæ ſuppreſſionem : ſed calculus hoc in loco ſitus, quà tranſire debet urina.

§ 35 .Quem-

§ 35. Quemadmodum enim in cultro ſecante duo ſunt, *Culter ſecans*, qui eſt *Agens quod*; & *Acies cultri*, quæ eſt *Agens quo*; ſeu ratio & forma agentis: ita in Calculo duo ſunt, *Calculus ipſe*, & *Calculus obſtruens*. Hinc *Obſtructio* non eſt medium quid inter calculum & morbum: ſed res quædam unà cum calculo, ſine quâ urina non ſupprimitur. Vt enim actio hæc laudatur, oportet in unum coëant hæc duo, quæ duo jam ſimul juncta, fiunt unum, conſtituuntque unum morbum.

§ 36. Hinc patet quam decipiatur Valleſius & alii, qui dicunt, *Rem additam eſſe cauſam continentem*, v.g. calculum, ſextum digitum, materiam obſtruentem. Qui plura vult, adeat Pacium, Com. in Meth. col. 302. Ex quo loco (ſed col. 304.) diluo objectionem, quæ pleriſque obſtat Galeniſtis. Dicunt, Quei permitti poteſt Gal. ut læſionem à calculo factam, vocet *Obſtructionem, cum actio ſit tranſitoria*? At morbus eſt factum quid. Reſpondet rectiſſimè, Verbalia iſta ſignificant duo, & *Motum*, qui fit, & *Terminum*, qui factus eſt. Non enim datur pars ulla motus, in quâ non ſit res aliquo modo mota. Itaque qui dicit mutationem, dicit etiam mutatum quid.

§ 37. Vt

§ 37. Vt jam denique concludendum ſit, *Cauſam, de quâ contendimus, in morbo facto nullatenus eſſe.* Fortaſſis igitur in morbo fiente ſeu futuro eſt? Non enim diſtinguo, ceu prædixi.

§ 38. Heic cautione opus eſt,ut rectè percipiamus Pacii mentem,quæ eſt,Non eſt idem dictu, *Morbus*, & *Morbus fiens.* Fallit enim à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Quin oppoſitum eſt in adjecto,ut in ſcholis loquimur.Quare, ut rectè docet,Morbus ſimpliciter dictus eſt ſolus ille,qui morbus verè eſt,ideoque cauſam continentem non habet : ita ſi putes,illum ſimpliciter ἀντιστρέφειν, Morbus fiens nullatenus eſt morbus, nec habet cauſam continentem, fallêris immenſum.

§ 39. Hoc enim vult, Morbus *ſimpliciter* dictus eſt reverà morbus,quia habet factum quid : at cauſam continentem non habet, quia eſt factum quid, & hoc ipſo præbet indicationes curatorias. Morbus cum additione dictus,*Fiens*,non eſt morbus quidem,& habet cauſam continentem, ſed dat indicationes præſervatorias.

§ 46. Vt enim ſuprà dixi, Oportet ſeorſim ponere ea, quæ ſunt, ſeorſim ea, quæ fiunt, ut ſecurè dicere poſſimus,

Hæc,

Hæc, quæ facta ſunt, non habent cauſam continentem: hæc, quæ fiunt, habent.

§ 41. Dicis, Quid illud eſt, *Non eſt morbus quidem*? Aliter conſiderat morbos ὁ θεραπευτής: aliter ὁ ὑγιεινός. Ille curat morbos, indicatione ſumtâ à diſpoſitione ſtabili, quæ morbus eſt. Hic, indicatione captâ à causâ morbificâ, quæ πάθος eſt, καὶ ἀλλοίωσις (non morbus) præſervat à morbo.

§ 42. Et hoc eſt, quod alibi monui. Cauſam indicare, abſurdum dictu non eſt: ſed in ὑγιεινῇ. Abſurdum, quin falſum eſt in θεραπευτικῇ. Habitus athleticus eſtne morbus? Nemo dixerit. Hipp. tamen ſolvere illum jubet venæ ſectione. Vnde heic eſt indicatio venæ ſectionis? *A morbo futuro magno, niſi praoccupes.*

§ 41. Et hoc eſt, quod Gal. non uno loco docet, Cum propriè loquimur, curationem à præſervatione diſtinguimus, & alterum mandamus huic, alterum illi. Cum impropriè, etiam τὸν ὑγιεινὸν curare dicimus.

§ 42. Cum grano igitur ſalis accipiendum eſt, quod Pacius & alii ſcribunt. Morbus fiens apud Gal. non eſt morbus, ſed πάθος. Eſt, cum propriè loquimur: at verò cum non diſtinguimus morbum & πάθος, curationem & præſervationem, non

non eſt. Non ſemper accurati ſumus in nominibus, ut neque opus eſt: modò res non confundantur. Et hinc pendet vel aſſertio vel negatio *Cauſæ continentis*, ut dicam.

§ 43. Ex his erudiri poſſunt, qui ſubſidium ſibi quærunt ex 1. Loc. aff. 2. tu puta, ut in morbo etiam facto Continentem extundant. *Cauſa continens* eſt, dicunt, quâ tangente, fit in nobis πάθος. Dico ego, Gal. heic τὸ πάθος propriè accipit, quatenus morbo opponitur, & eatenus concedo cauſam continentem, de ἀλλοιώσεως, inquam, non de ἀλλοιωτοῦ.

§ 44. Atqui, nihil eſt ſine causâ? Niſi decipi vis, dicas, Nihil fit ſine causâ. Interim, quæ jam ſunt, non omnia habent cauſam.

§ 45. Minimum, inquit, in iis factis concedes mihi, ubi ſunt plures cauſæ Antecedentes? Vid. ut illam dicam Continentem, quæ effectui proxima eſt? Non concedo. Conſtituto enim eo, quid ſit cauſa continens? permittere non oportet, ut nomen tribuatur antecedentium alicui, ne finiat res in litem nominis. In rei veritate, antecedentium nulli hoc competit, ut eâ ablatâ tollatur cauſatum, Ergò nulla etiam illarum dici poteſt Continens, Ita aqua calefacta, ſed ab igne remota,

mota, calet aliquandiu: febris putrida manet,etiam purgatis humoribus.

§ 46. Tantò autem ſolicitiores eſſe oportet nos hac in re, quod non ſatis conſtet,quò inclinârit Gal.In 1.enim illo de Loc. aff. modò agnoſcere videtur cauſam continentem in morbis factis: modò negare. *Agnoſcere*, cum ait, ἐνίοτε μιᾷ καιροῦ ῥοπῇ, *uno temporis momento* curari dolores quoſdam colicos ex pituitâ vitreâ. *Negare*, cum poſt aliquammulta dicit, τὴν φύσιν ἰᾶσθαι μικρά τινα πάθη, *Naturam curare parvas quaſdam affectiones*.

§ 47. Iam ergò,per longas quamvis ambages, huc pervenimus, quo nemo (quantum mihi compertum eſt) hactenus eorum, qui vel pro *Cauſa continente* ſcripſerunt, vel contra illam, *Cauſa continens* (non Stoica illa,è cœlo petita, ſed quæ pertinet ad res fientes)datur,& non datur. *Datur* ἐν ὑγιεινῇ, quatenus illa curat fientes morbos,ſeu, qui in herbâ ſunt adhuc,indicatione præſervatoriâ acceptâ à Causâ morbi. *Non datur* ἐν θεραπευτικῇ, quatenus illa morbos factos ſub manu habet, indicatione curatoriâ ſumtâ à morbo ipſo.

§ 48. Vbi ſi quis iterum quærat, Quid ſit id, quod vulgò, in morbis materiali-
bus

bus dictis, *Cauſa continens* dicitur? Dixi non ſemel, & eſt ſæpius dicendum, quia audire nolunt illi, *Eſt pars morbi, eſt fundamentum relationis, à quo ferè morbi denominantur*, ut docet regula Melanchthonis, cujus memini. Hæc pars morbi non eſt ſimul cauſa, ut nuper dixi.

§ 49. Ex quo ſtatim manifeſtus fit error Eraſti, Anat. f. 105. cum ait, quæſtionem de nomine eſſe. Parum quidem refert, quo quis utatur nomine: ſed magni refert, ut res unaquæque ſuo gaudeat. Quid autem inſolentius, quam *Partem rei* ſubſiſtentis vocare *Cauſam ipſius*: & contrà, *Cauſam* dicere *partem*? Fit enim confuſio cauſæ & cauſati, ut jam innui.

§ 50. Nec quidquam facit huc fulcrum, *Galenum ſciviſſe rem: à nomine abſtinuiſſe.* Multis enim locis etiam nomine uſus eſt. Videatur Montanus in Ant-Eraſt. f. 81. b.

§ 51. Dicat aliquis, Qui cauſam continentem in Pathologicis ſimpliciter damnaſti quei potes jam ex parte recipere? Αἱ δεύτεραι φροντίδες ἀμείνονες. Volo autem hanc ſententiam poni juxta alteram, & liberum fieri judicium, *Vtra ſit melior*?

Refutatio argumentorum Eraſti.

CAPVT. XXIX.

§ 1. NE parum honorificè tractaſſe videar Eraſtum meum, conferam huc pauca ex Anat. p. 111. & ſeq. digito ſimul intento in ea, quæ Mont. habet, Ant-Eraſt. f. 82.b.

§ 2. I. Argumentum eſt ἄτεχνον, innitens autoritati Gal. 1. Loc. aff. 2. Non urgeo jam τὸ πάθος, quod Valleriola, & alii: ſed dico, loqui Gal. cum vulgo, quod non diſtinguit cauſam à parte. Hoc facio ideò, ne arietem in Montani Cauſam continentem, quam ille ſtatuit *Intemperiem frigidam inteſtinorum*. Periculum enim eſt, ne cogamur illam recipere in aliis quoque.

§ 3. II Eſt f. 112. à definitione Cauſæ continentis, Omnis cauſa, &c. Montanus negat minorem, & rectè.

§ 4. Pro III. habet Montanus autoritatem Ariſt. 2. Poſt. quod rejicit ille f. 81. a. quemadmodum etiam alterum ex Hipp de Vet. Med. f. 80.b.

§ 5. Idem Eraſtus, refutaturus Montani argumenta, hypotheſin quandam ſtatuit, quam f. 83.b. ſimpliciter negat eſſe ſuam.

§ 6. I. Sophiſma, ut Montanus appellat

pellat ex l.2. c.36. ſubeunt artis noſtræ fundamēta, Intemperies non rectè diſtingui in nudas & cum materiâ. Reſpondet ille, Ant-Eraſt. f.84.a. Ego tacere malo vel ideò, quia non video, quid faciat ad Cauſam continentem. Saltu etiam ſupero, quæ apud Eraſtum ſunt à p.113. uſque ad p.120. Nec non illa, quæ in Ant-Eraſt. uſque ad novam rubricam f.87.b. Idem facere cogor, niſi riſum perſolvere velim bonis, de iſtis, quæ cumulat Eraſtus uſque ad p.126. Idem de iis, quæ in Antraſt. uſque ad f. 90.b.

§ 7. II. Argumentum, ex eodem loco, tractatum ab Eraſt. p.127. exagitatum in iiſdē Ant-Eraſt. f.91.a. non meretur punctum, ut quidam loquuntur. Idem, cum pace bonorum, dixero de iis, quæ uſque ad p.124. & f.98. Qui enim rem intelligit, inſuper poteſt habere talia ſcitamenta.

§ 8. Quę de Chimęris, & monſtris Africanis dicuntur à p.143. uſque ad p.150. contra c.33.l.2; quæ item in Ant-Eraſt. à f.98. uſq; ad f.101.b. relinquo monſtroſis ingeniis. Et quid fruſtra laboro? Iiſdem transſcribo, quæ ab Eraſto uſq; ad p.187. & Montano uſque ad f.120. intruduntur.

—ſcilicet hæ ſunt
Res hominum! Hic ſpinas colligit, ille roſas.

FINIS.

INDEX.

Prior numerus Caput, poſterior Paragraphum denotat.

ACtio ut fiat, quot requirantur? 2.15.19. *eſt totius, ſeu compoſiti ex materiâ & formâ,* 5.8.6.8. *quo reſpectu dicatur hujus vel illius.* 16.22. *edaturne à ſolâ facultate, ſine ſpiritu?* 11.3. *non fit in omnibus eodem modo.* 16.8.21. *ſimilaris fit à ſolo temperamento,* 16.10.11. *alia fit ab una parte, alia à pluribus, καθ' ἐντελέχειαν agentibus* 8.6.20.12. *communis ſeu publica, cui opponitur privata,* 12.16. *accidentalis, Ibidem.*

Actio læſa cur ſola ex ſymptomatis ſit in definitione morbi poſita? 2.21.

ADRASTEAE victoria, 7.14.15.16,17.8.23.24.28.36.10.5.11.12.17.21,25.14.67.

Aegroti quando dicamur? 1.14.

Agens eſt diſtinctum â patiente, 4.14. *quod & quo,* 28.35.

Ἄγμα, ἄπαγμα, κάταγμα, 24.19.

Alopecia, cæterique pilorum defectus, ſunt cutis potius, 20.10.

Ἀμετρεία *eſt genus morbi Logicum,* 1.8. *nuda Montani,* 1.20.

Ἀμαύρωσις, 16.22.

Anato-

Anatomia duplex, 25.8.
ANIMA & NATURA differunt apud Gal. Eſt id verò à Stoicis, 8.2. mundi Platonica, 28.4. animam totam eſſe totam in corpore, &c. falſum eſt, 15.9.
Ἀπὸ, præpoſitio intendit ſignificationem, ut in ἀπολαμβάνω & ἀποπλήττω, 14.2. 3. 18.
Ἀπόκλασμα, 26.2.
Ἀπόκρισις νοσερὰ Hipp. 7.10.
Ἀπόπληξις, ἡ ἀποπληξία, ἀπόπληκτοι, καὶ ἀποπληκτικοὶ, 14.2.
Apoplexia non eſt affectus ſoporoſus 13. 50. ut differat à paralyſi 14.7.57. ab epilepſia Ib. 9.10. à ſuffocatione uterinâ, Ib. 11. à Caro, Ib. 12. à ſyncope & ſyncope cardiacâ Ib. 13. ſubitò mori, non eſt ſignum ejus pathognomicum, Ibidem. 24. ſignum aliud Ib. 25. ſpecies non niſi una eſt, gravitate differens Ib. 31. hæc ſanguinea dicitur, 10.5.17. 14.17.38. ſpecies, ſunt gradus, 14.25. parva, quæ? Ib 26. differentia à loco affecto nulla eſt, Ib. 27, 29 non eſt in ventriculis, ſed in corpore, ſeu vaſis, Ib 34. 36. utrobique eſſe, quo ſenſu dicatur? 13.80. 14.32. in cerebri ventriculis inventa aqua unde ſit? 10.15. an ſalvi ſint ſenſus interni? 13.79. an pueri illâ laborent? 11.17. quibus ſenibus ſit familiaris? Ib. & 10.17. quomodo

fiat à compreſſione? 14.74. *ab obſtructione & anguſtiâ?* *Ib.*73. *à ſubſidentia?* *Ib.* 75. *an à diffluxu cerebri?* *Ib.*63.
Apoplexia & Epilepſia nec fit ab eâdem causâ, nec differente ſecundum magis & minus, 10.4. 11.14. *in utraque cur ſuperſit aliquid reſpirationis?* 11.2. 11. 14.59.
Ἀπόσπασμα καὶ διάσπασμα, 26.9.
de ARGENTERIO *judicium* SCHERBII. 2. 12.
ARISTOTELIS *loca explicantur,* 2. 2.12.21.23.4. *ſententia de convulſionibus cum conſenſu Gal.*13.31.34.
Ἀστροβολισμὸς, καὶ ἀστρόβλητος, 14.3.
Ἀτροφία, *morbus an ſymptoma ſit?* 21.2.10.
Attoniti, & morbus attonitus, 14.3.
de AVERROE *judicium* SCHERBII, 4.10. *ejus locus explicatur,* 27.1.
AVICENNA *defenditur,* 8.15. *refutatur Ib.*7.
Aurium ſibili unde? 5.6.
Ἀφωνία *Hippocratis,* 14.16.45.

B.

Bilis porus cum geminus, in duodenum & ventriculum, qualis morbus? 18.11.
Βλαισοὶ ἢ βλαισοὶ, *Blæſi.* 17.3.
Βλητὰ, 14.3.
das Blut erſticken *qualis morbus?* 11.17.
Bubo peſtilens, 7.14.

Cacochy-

C.

Cacochymia eſt corruptio & putredo,18.10.
Calculus quatenus ſit morbus? 20.10.23.2. 28.34.
Calidi nativi origo,7.8. *non reſtituitur ab alimento*,*Ib*. *non interimit ſeipſum*,*Ib*.44. *quot modis exſtinguitur*,16.9.
Calor & Spiritus quei differant? 6.1.8.
Cancri marini habent νάρκωσιν, 7.16.
Canina rabies quale venenum? *Ib*. *quæ antidotus ipſius*? *Ib*. *quam intemperiem inducat Ib*.
de CAPIVACCIO *judicium*,12.30.
Carbunculus peſtilens,7.14.
Carnis propriè dictæ uſus,8,6.
Carus, qualis ſopor? 13.50.
Catalepſis ſeu catochus qui morbus? 13,17.
Catarrhi ſuffocativi in ſenibus, 11.17.
Cauſa aliquando indicat, 28.42.
Cauſa poteſt agere totâ ſubſtantiâ, & *tamen inducere morbum cognitum*,7.24.
Cauſa continens Stoicorum eſt, 7.24. *unde ſit*? 28.2. *qui inter Medicos appellârint*? *Ib*. *Gal*. *impugnat*, *Ib*. 5. *utitur tamen nomine*, *Ib*.6. *eſt ipſe morbus*,3.2. *eſt efficiens tantum*, *non etiam materialis*,28. 10.17. *ejuſdem definitio*,*Ib*. 8. *conſideratur vel in iis, quæ ſunt, vel in iis, quæ fiunt*,*Ib*.9. *in pulſu triplex eſt cauſa continens*, *Ib*. *datur & non datur*, *Ib*.42.

47. *in morbo Gallico an detur?* 7.17.
CELSVS *excuſatur*, 14.44.
Cerebri duplex conſideratio, 14.56. *uſus apud Ariſt. Ib.*66. *ventriculi non generant ſpiritus*, 11.1. *colligunt excrementa*, 13.56. 14.169. *coitus ipſorum quei dicatur?* 13.83. *contractio non eſt cauſa contractionis muſculorum in Epilepſiâ*, 10.3. 13.27. *morbi juvantur cordialibus*, 14.52.
Cerletani Italorum, 8.13. 13.20.
China, radix, ſiccet an humectet? 7.17.
Ciborum in nidorem corruptio quam variet? 7.24.
CICERONIS *locus explicatur*, 1.4.
Combuſtio differt à putredine, 7.10.
COMES MONTANVS *quam diu laboráris in opere de Morbis?* 10.12. *conſentit Hofman. in* διαφέρει *Gal. quod ſit Tranſcendens*. 2.3. *ut & Parolinus, ibid.* 5.20.
Congelatio in vivo corpore an fieri poßit? 8.23. 12. 15.
Conſiderantur res aut Phyſicè aut Medicè, 28.26.
Contagium peſtilens non eſt è cœlo, 7.12. *cujus rei indicium?* 7.10.
Contractio Latinis qui morbus? 13.4. *contracti hodiè dicti longè alii ſunt*, 12.15.25
Continui ſolutio qui morbus? 24.1.7. *quotuplex?* 3.5. *duplex* 24.15.21.26. 10.

quomodo ſit morbus communis? 3.6. 27. 9. 24.12. 26.13.
Convulſio quis morbus? 13.45. *quotuplex?* 13.6. *in quibuſdam unus & continuus eſt motus: in ſolâ Epilepſiâ eſt interpolatus, & cur?* 12.26. *in illis ſenſus ſunt omnes integri: in hac ut plurimum omnes occupati*, 13.48. ERASTI *D. de Convulſionibus examinantur*, 8.1. *ejuſdem efficiens producitur*, 8.27. 28.11. 5.12. 13. *à flatibus eſſe, ſtabilitur* φαινομένοις 13.21.35. *cum terræ motibus comparantur*, 13.21. *convulſio omnis eſt ab eâdem causâ, non hæc quidem à flatu, illa à repletione & inanitione*, 11.5.14.12.16. 25.12.31.8.12.25. *convulſio quale ſit ſymptoma?* 12 16.8.20. *eſt ſolius morbi*, 11.9.10. *voluntas nihil heic facit*, 12. 26. *convulſio aut paralyſis quando fiat?* 12. 25.
Cor an poſſit pati ullum affectum gravem? 13.69. *quatenus ſit affectum in epilepſia?* 13.68.
Corporis noſtri triplex conſtitutio, unde triplex morbus, 3.1.
Corruptio nidorulenta varia, 7.20.24.
il Cranſo, ſeu la Cranſa, 13.3.
Cramſus noſter qualis ſit convulſio? 8.12. 16. *hiſtoria univerſalis*, *Ib.*
CRATONIS *votum de Epilepſiâ*, 12.4. *ejuſdem phaleriſmus aulicus*, 5.2. *Cru-*

Crurum gracilitas & craſsities, 21.3.
Cutis ſcabrities quis morbus? 19.4.

D Δ.

Dentes cur aſperi à naturâ facti? 19.11.
διάβρωσις, *cauſa ulceris*, 24.24.
διαδέξεις ἢ διαδοχαὶ *qui morbi?* 18.4.
διάθεσις καὶ κατασκευὴ *in definitione morbi differunt*. 1. 6. διάθεσις *illa eſt* πολύσημος, *Ib. &* 22. *quatenus ſit eadem cum* διαθέσει *Ariſt. Ib.* 2.2.3. 11. *quale ſit genus Logicum? Nullum. Eſt Tranſcendens*, 1.6.19.2.3.
διάθεσις φλεγμονώδης *Gal. in Apoplexiâ*, 13.95. 14.39.
Digitus ſextus an ſit morboſus, & quando? 20. 3. 28.21.
Diſtentio, morbus, 13.4.
Diſcentis quæ maxima felicitas? 8.39.
Docti qui ſint? 5.1. *tribuuntur in tres ordines*, 12.1.
Doloris cauſæ geminæ, 24.16.
Dyſenteria propriè dicta, 19.5.

E.

Εγγίσωμα, 26.5.
ἕδρα, *Ib.* 7.
ἐμπροσθόντος, *an* ἐμπροσθοτέτανος? 13. 12. 15.
εἰσαγόμενοι *iidem qui* ὀψιμαθεῖς καὶ σκαιοί. 5.1.
ἐκκοπὴ, διακοπὴ, 26.7.

ἐκχύ-

ἐγχύμωμα.24,25.

ἐπὶ. *Vied in* ἀπὸ.

ἐπιστήμη καὶ τρόπος ἐπιστήμης,2.16. *Vide* τρόπος ἐπιστήμης.

Elephantiaſis, 7.18.

ἔννοια *opponitur* τῇ οὐσίᾳ, 1.10.12.

ἔνθλασις ἢ ἔσφλασις, 26.5.

ἐπιληψία *eſt gravis apprehenſio*, 13.8.*morbus an ſymptoma ſit?* *Ib*.51. *eſt morbus: imò triplex, & quomodo?* 8.28.11.8.12.6.32. *ut differat à reliquis convulſionibus?* 13.16.42. *ejus latitudo, & ſymptomatum varietas*, 12.23.26. 13.10.47. *quorum ratio redditur*, 12 30.*ſententiarum diverſitas unde?* 13.100. *ſubjectum quidem eſt cerebrum: ſed quâ parte?* 13.55.56. *in ventriculis, an in corpore? Ibid*. 80.*omnino eſt obſtructio*, 11.16. *ſed non ſemiobſtructio Fern*. 10.1.11. 1.2. 14. *omnis epilepſia eſt una cauſa*, 13.39.40.43.46.*quo modo venati ſint illam antiqui?* 9.5. *ad quod ſymptoma referre oporteat?* 13.52.54. *an certus ejus character ſit?* 13.73. *cur pereat & ſenſus & motus?* 10.9.*an ſenſus interni poſſint eſſe ſalvi?* 13.70.79. *an poſſit eſſe ſine motu?* 12.26.*quei fiat ille motus?* 10.14.11.12. *an à cerebro contrahente ſe?* 13.60.67. *quatenus fiat à compreſſione? Ib*. 92. *cur morbus puerilis?* 11.17.18. *à vitro-*

13.32. *quæ curetur mutatâ ætate?* 11.15.
Epilepſia triplex Gal. 13.44. *non rectè diſtinguitur in legitimam & ſpuriam, Ib.* 46. *in eâ, quæ per eſſentiam & per conſenſum eadem ſunt ſymptomata*, 8.37.12.16. *utrobique æquè ſæva, utraque æquè frequens*, 12.16.13.38.89. *per eſſentiam quatenus detur?* 12.33.13.37.49. *ſanguinea*, 14.16.
Epileptici quidam ſunt callidi, ejuſque rei hiſtoriæ, 9.4. *cur ſpumeſcant?* 11.19.
Epilepſia & Apoplexia non poteſt eſſe ab eadem cauſâ, gradu differente, 10.4.13.30.
ERASTI *ſententia de convulſione refutata*, 8.27. *& ſeq.*
Error errorem trahit, 27.1. *errorum refutatio cui bono?* 9.1.
Eryſipelas ſimpliciter dictum, & inflammatorium, 3.3.

F.

Falſa an bonâ conſcientiâ defendi poſſint? 13.100.
Forma quo modo corrumpatur? 6.5.6. *Formæ morbi. Vide in M.*
Faucium aſperitas qui morbus? 19.3.
Febris eſſentia in quo conſiſtat? 28.18. *an ſit nuda intemperies?* 4.16. *inter febrim putridam, malignam & peſtilentem quæ ſit differentia?* 7.10. *peſtilens ſine peſte Ib.*
FERNELIVS *eſt Stoicus*, 5.2.6.1.7.12. *hõ debet legi ab adoleſcentibus*, 5.2.7.10. *Sty-*

Stylus eſt mutuatitius, 5.2. *inſimulatur variorum errorum*, 7.11.24.5. 1.6. 1.7. 12.17.4.4.6. *malam init gratiam* 27.4.
Flatus non ſunt unius generis, 7.20. *quatenus ſint à frigiditate? Ib.*
FOESIVS *adjutus*, 13.15.14.4.26.9.
Fontanella, pars capitis, 13.92.
Das ſtille Freiſchlich / 12.26.14.10.
Fractura aut ruptura, 24.19.
de FVCHSIO *Scherbii judicium*, 2.12.

G.

GALENVS *non fuit Epicureus*, 2.16. *vincitur ab* ADRASTEA. *Vide in A. utitur methodo Ariſt. in indagandis definitionibus*, 1.1. *excuſatur*, 6.3. 11.3. 18.12. 14.13. 62.80.91.95. 14.41. 42.43. 16.22. 28.21.22.20.9.11.25. 1.4.28.42.43.46.
explicatur, 1.2.6.7.2.12.14.15.8.28. 12.15.13.95. 97.14. 16.21. 18.16. 21. *defenditur*, 4.16. 8.4.8.26. 11.8. 9.11.
accuſatur, 5.6.12.25.13.20.56.14.24. 28. 18.16. 27.9.
GALENI *loca corrigantur*, 1.11.4.24. 18.10. 20. 1.4.21.1.22.1.2.
interpp. accuſantur, 12.20. 13. 50.14. 40. 16.4.
liber de Opt. *ſectâ an ſit ipſius?* 4.9.
de Inæq. int. an ſit? Ib. 15.23.5.

GAZA *reprehenditur*,6.1.
in Generationibus diſtinguere oportet alterationes prævias ad formam, à formâ ipſa, ſive motum ad terminum à termino ipſo, 1. 14. 6. 5. 6.
Gracilitas, 21. 1.

H.

Hermeticorum de Epilepſiâ ſententia, 13. 99.
HIPPOCRATIS *loca explicantur*, 13. 92. 14. 16. 19. 22.
Hiſtoria Hipp. de compreſſione cerebri notabilis, 13. 92. *duæ aliæ noſtræ*, *Ib.* 93. 94. *duorum* I C. *litigantium*, 8. 39.
Homo quando dicatur generatus ? 1. 14.
HORATIVS *fuit Stoicus*, 28. 3.
Hydrophobia, 7. 16.

I.

in Ictero corneæ flavities ſuperſtes ad quem morbum referenda ſit? 5. 7.
Inflammatio, φλεγμονὴ, *Eryſipelatώδης*, 3. 3.
Inflammatio quæ faciat vel Apoplexiam vel Epilepſiam? 13. 95.
Indicationes aliæ curatoriæ ſunt, aliæ præſervatoriæ, 28. 39. 41. *à cauſa ſumuntur præſervatoriæ*, 4. 9.
Inſtrumentum, vide Organum.
Intemperies vel ſalubris eſt, vel morboſa, 4. 7. *morboſa quotuplex?* 3. 2. 3. *morboſa vel ſimplex, vel compoſita*, 4. 8. *quot in univerſum?* 4. 8. 10. *nuda & cum affluxu*

ſubſtantiæ, 4.7.16. poſterior quando fiat tumor p.n. ſeu morbus magnitudinis? 4. 17.19. calida & humida an detur? 4. 11. calida & frigida? *Ib.*12.14. inæqualis? 4.15.

K.

Καμάρωσις, 26.5.
Καρδία, καρδιακὴ συγκοπὴ, 14.18.
Κατασκευὴ καὶ διάθεσις differunt apud Galenum, 1.6.
Κολοβώματα, 21.11.
Κρᾶσις, Vide μῖξις.

L.

Laxitas & mollities quales morbi? 4.5.
LIPSII *excreta mirabilia*, 19.19.
Literatorum triplex ordo, 12.1.
LOSSII *regula*, 23.3.

M.

Manus totius actio, 20.13.
Medicina ſinit Temperamentum dici Animam, 16.18.20.
Melancholia triplex, 13.45. *in melancholiâ hypochondriacâ cur tantoperè varient ſymptomata? Ib.*
METHODI *medendi fundamentum*, 6.9.11.
μῖξις καὶ κρᾶσις *differunt*, 4.1. 5.10.
de Morbo qui agit, agit etiam de Sanitate, 1.4. *de utroque quid cenſeat vulgus, Ib.* 5.9, *ex hac cenſurâ non fit niſi definitio*

nomina-

nominalis, nullo autem modo eſſentialis, Ibid.2.19. Διάϑεσις Gal. non eſt genus Logicum, Ib. ideò nec morbus eſt Qualitas, Ibid.15.16.17.20.21. verum genus Logicum morbi (ita etiam Sanitatis) Ib. 8.18.19. hinc fit definitio eſſentialis, Ib. 8. interim ex definitione illâ Gal. nominali, additis aliunde aliis, fieri poteſt definitio eſſentialis Medica, ſed non Logica: Ib.19.

Morbi ſubjectum eſt duplex, 28.18. materia eſt etiam duplex, in quâ, ex quâ, Ib. morbus duas habet partes eſſentiales, Ibid.

Morbus conſideratur, vel ut eſt factum quid, vel ut etiamnum fit, 18.11.14. hoc quem ſenſum habeat? 28.38. morbos aliter conſiderat ὁ ϑεραπευτὴς, aliter ὁ ὑγιεινὸς Ib.

Morbus eſt in triplici differentia, 3.1. Aut enim ſimilaris eſt & dicitur Intemperies, quarum alias conſiderat ὁ ὑγιεινὸς, alias ὁ ϑεραπευτὴς, Vide in I. Aut Organicus eſt, 16.11. quotuplex ille? 16.15.23.5. Aut & Continui ſolutio, de qua in C.

Morbi Organici dicti annon cauſæ potius ſint? 23.1. Conformationis morbi quotuplices? 3.4 cur tres? 23.6. in figurâ, 17.1. in ſuperficie, 19.15.20. in viis ſeu cavitatibus, 18.1, 11. In magnitudine, 21.1. ſintne quidam illorum ſ.n. Ib.5. In numero, 20.1. ſintne pariter quidam ſ.n.? Ib.2.5.

annon

annon quidam illorum cauſæ ſint? Ib.6. 7. In ſitu, 22. 2.
Morbi non rectè diſtinguuntur in materiales & immateriales, 28.25. in manifeſtos & occultos, 7.13. morbi formæ refutantur, 6.1. materiæ item 5.1. quatenus quilibet morbus formam habeat? 28.15. morbi nativi an ſint morbi? 21.6.7. compoſiti qui dantur? 12.32. in uſu, 16.22. eſſentiæ & ordinis, 23.5.
Morbilli. Vide Variolæ.
Muſculi dicuntur ab Hipp. & Ariſt. nervi, 13.56. an ſint inter partes ſimilares? 8. 5.6. muſculus quot partibus conſtet? 8.6. an quædam inter eas ſit princeps? 8.6. 11. quomodo moveat? Ib. 8.10. priſci cur tribuerint illi ventrem? Ib.
Motus principia in nobis quot? 11.4. Motus ſ.n. ut fiat, quot partes ſint neceſſariæ? 9. 3.8.3.21.12.16. Motus p.n. ut fiat? 9. 3, Motus p. n. fit ab iis partibus, à quibus ſ.n. 9.2. Convulſorii ut differant à naturalibus? 11.4.5, 12.22. quei fiant iis ſimiles? 8.28. non ſequuntur cerebrum convulſum, 8.29. motus violentus omnis ſequitur motum ſ.n. 13.35.

N.

Natura & Anima apud Gal. differunt, 8. 2. 11.4.

Nervi

Nervi quid conferant ad motum, 8.7.9. *non trahunt habenæ inſtar*, 12.25.
Nervorum rigor morbus, 13.4.
Nomina verbalia duo ſignificant, 28.36.
Νόσος ἱερὰ, 13.9.

O.

Obeſitas, 21.1.
Oedema, οἴδημα, 3.3.
ὁμοιομέρεια *Anaxagoræ*, 25.1.
ὀπισθότονος, *an* ὀπισθοτέτανος? 13.13.
Opium ut interficiat? 7.16. *ejus antidotus*, *Ib.*
Organum ſeu Inſtrumentum quod ſit? 16.3.
Organicus morbus vide in M.
Organiſatio opponitur Temperamento, 16 11.18.
in Organis plurium ordinum partes ſunt, 11. 22.
Oßium fractura alia καυληδὸν *fit*, *alia* ῥαφανηδὸν, 26.8.

P. Π.

Πάθος *vel propriè vel impropriè accipitur.* 28.43. 29.2.
Palpitatio cordis, 7.22.
Πανσπερμεία *Anaxagoræ*, 25.1.
Paralyſis quis morbus? 4.21. & *Apoplexia ut differant?* 14.57.
Paraplegia Hipp. 7.15.
Partium diſtinctio. 16.4. *ſunt vel ſimilares*, *vel diſsimilares*, 8.5.6. *ſimilarium definitio*, 25.2. *nu-*

25.2. numerum quo modo venari oporteat? Ibid. 6.9. cur tam varium ſortitæ ſint temperamentum? 4.3. an in omnibus ſit pars princeps? 8.6. ſimilares poſsintne laborare morbis organicis, & contrà? 23.7.
Πεπαιδευμένοι, 5..
Pericles quale caput habuerit? 17.2.
Peſtis ut differat à febri peſtilenti? 7.10. quis ſit morbus? & unuſne certus? Ib. peſtis conditiones? Ib. tres ejus cauſæ, Ib. contagium ſeu fomes aliunde inferri poteſt, Ib. 12. Sicula & Veneta, Ib.
PH. MELANCHTHONIS regula, 2.11.
Philoſophia Barbarica dicta, 28.2.
Phthiſis, 7.4.21.2.
Plethora quamdiu dicatur? 4.16.
Podagra cujus morbi ſymptoma? 18.5.
in Prædicamentis diverſis an poſſit eſſe res una eodem modo conſiderata? 1.17.20.
Priapiſmus, 13.19.21.3.
Pullus in ovo quando dicatur? 1.4.28.15.
Putredo an faciat morbum formæ? 7.3. quædam eſt Combuſtio, 7.10.

Q.

Qualitas realis, 8.26.

R. P.

Raritas & laxitas qui morbi? 5.5.
Repletio & Inanitio Hipp. non ſunt cauſæ convul-

convulſionum, 8.14.12.13. repletio non eſt cauſa Epilepſiæ, 13.20.
Reſpiratio qualis ſit actio? 10.7. ſublimis ſeu coacta, 11.11.
ῥεύματα, ῥευματισμοὶ, ῥευμάτων καὶ διαθέσεις, qui morbi? 18.4.
ῥοιὰς, an ῥυὰς? 21.2.
ῥωγμὴ, ἢ ῥῆξις, 26.3.

S. Σ.

Sanitas quid ſit ex opinione vulgi, 1.5.9.14. eſt quamdiu vita ſupereſt, 6.6. differt ſecundum magis & minus, 23.4. ſive eſt latitudo quædam illius, 4.7.23.4. & morbus ſunt contraria, & ſub eodem genere, 1.8.12. ſanitatis definitio, 1.8.
Sanguis ut ſit ſanguis quid requiratur? 28.20. morboſus, Ib.
Satyriſmus, 13.19.
Scirrhus, 3.3.
Senſus acer an ſit morbus? 5.6.
in Sermone quæ ſit pars princeps, 20.12.
Siderati, ſideratio, 14.3.
Similare & diſsimilare quid ſit? 25.3.
Singultus eſt convulſio quædam, 11.15.13.19. cur quis facilè ſingultiat? 5.6.
Σκαιὸς quis? 5.1.
Σπάσμα καὶ σπασμὸς differunt, 13.1.8.2. σπάσμα genus vulneris eſt, quod & ἴλμα & ῥῆγμα dicitur, 26.9.13.2. Spaſmus quid nobis? 13.3. univerſalis videtur

tur

tur eſſe Tetanus quidam, Ib. 18.
Spiritus animales non fiunt in ventriculis cerebri; ſed in ipſo corpore, 14.68.
Spirituum morbi, 7.7.
Status neuter Herophili , 4.7.
Sternutatio eſt Epil. parva , 11.15.13.19.
Στέγνωσις , *cauſa morbifica,* 18.23.
Strabiſmus , 13.19.
Subſtantia tota Gal. quid ſit? 6.1.3.7. *non eſt eadem cum Forma Fern.* 7.24. *quæ agunt à totâ ſubſtantia, ſeu quod idem eſt, ab occultis proprietatibus , non ideò morbos occultos inducunt,* 6.7.
Superficies lævigata aut exaſperaa quando dicatur veteribus? 19.17.
Συκώσεις *palpebrarum,* 19.10.
Σύμφυσις, *morbus in ſitu,* 18.11.
Syncope ex quâ causâ, 7.21. *Cardiaca qualis ſit affectus?* 14.15.19. *in pueris & ſenibus accidit,* 11.17.
Σφακελὸς καὶ σφακελισμὸς, 14.4.
χιονοχέχαλοι, 1.72.

T.

Tabes, 21.2.
Τάσις, *vulneris cauſa,* 24.26.
Temperamentum eſt Qualitas, non Harmonia , 4.2.3. *qualis? Ib. æquale quod?* 4.8. *quot temperamenta inæqualia? Ib. temperamento quatenus Methodus medendi innitatur?* 6, 11.
Τερηδὼν q. τερηδών. 24.19.

Τεῖ

Τειναὸς, 13.14. καὶ σπασμὸς *idem, Ib.*32.
Τομὴ, *vulneris cauſa*, 24.23.
Τόνος, 13.15.
Torcular Herophili. 14.36.
Torpedo marina, 7.16.
Τραῦμα ἢ τρῶμα, 26.10.
Τρόμοι *Hipp. & Ariſt.* 13.32.92.
Τρόπος ἐπιστήμης, 5.8.6.3.9.
Tumores p.n. duplices; 3.3. *materia illis impacta quid ſit?* 4.26.

Θ.

Θλάσις ἢ θλάσμα, 24.24.26.3. 11.

V.

Valgi, Vari, Vatiæ, 17.3.
Vapor convulſionem faciens qualis? 8.16.
Variolæ & Morbilli noſtri an fuerint Græcis cogniti? 7.15. *cauſæ eorum,* 11.18.
Venæ ſectionis terminus an ſit annus 60? 11.17.
Venenum an gigni in corpore humano poſſit? 7.10.13.
Venena externa ſunt cauſæ morborum, faciuntque morbos notos, 7.32.
Veneria lues qualem inducat intemperiem? 7.17.
Ventriculi & inteſtinorum levitas, 19.8. 13.14.
in Vertigine quæ facultas princeps ſit læſa? 11.15.
Vinum quamdiu dicatur? 4.16.

Virgilius fuit Stoicus,28.2.

Vnum dicitur multis modis, 24.4.*modo diſtinguitur à continuo, modò non*,*Ib*.8. *Vnum, uno modo conſideratum, eſt in uno tantum prædicamento*,1.17. *Vnum, quà vnum, non agit in ſe*, 4.14.

Vox cur ſit ſuperſtes in Epilepſiâ? 13.87.

in Voce quæ ſit pars princeps? 20.12.

Vteri interna ſuperficies an ſit aſpera? 19.2.

Vterina ſuffocatio à quâ intemperie ſit? 7.20.

Vulnus, ulcuſve à 4.*cauſis ſit*,24.23.

Vulnus Medicus dicit eſſe unum, quamvis multarum ſimilarium ſit, 5.8.

Υ.

Ὑπόσφαγμα, 5.7.

Φ.

Φλάσις ἢ φλάσμα *Ionicum*, 26.3.

Φοξοὶ, 17.2.

Ω.

ὠμογέροντες, 11.17.

ὡραῖα οὐχ ὡραίως ἀποδίδωσι,7.10.

FINIS